


VII







ARCHIATHENÆUM
LUSITANUM.

ILLUSTRISSIMO,
ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

NONIO ALVARES
PEREIRA DE MELLO
JAMII

CADAVALLENSIUM DUCIS
FILIO
Optimæ ſpei adoleſcenti

ARCHIATHENÆUM LUSITANUM,

SIVE
REGALE COLLEGIUM COLLIMBRIENSE
D. O. ET C.


D. JOSEPHUS BARBOSA,
CLERICUS REGULARIS,
Ulyſſipponenſis.





ULYSSIPPONE OCCIDENTALI,
Ex Prælo JOSEPHI ANTONII A' SYLVA,
Regiæ Academiæ Typographi.

M. DCC. XXXIII.
Cum facultate Superiorum.



ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

NONIO ALVARES PEREIRA
DE MELLO.



Xcipe clare puer noſtri monumenta laboris,
Quæ tibi curvato poplite None dico.

Excipe

Excipe magne puer cætûs encomia Pauli,
Qui veluti Phœbus Palladis arce nitet.
Palladis arce nitet Paulinus cætus, ut orto
Lumina diffugiant Sole minora vago.
Inſpice quos ſacri nivea argumenta coronant
Dogmatis, & quorum fama perennis erit.
Aſpice ſacrarum referantem oracula legum
Docta manum, Chriſti quæ vaga prata rigant.
Nodos illa ſolet ſubtilis acumine mentis
Solvere, & ambiguam pandere ad aſtra viam.
Reſpice Cæſareo florentem jure catervam,
Publica dependet cujus ab ore ſalus.
Aſpice conſpicuos multos & Apollinis arte,
Divino rapidam quæ fugat enſe necem.
Purpurei, ſacrique Patrem jam cerne Senatûs,
Qui famâ Romæ compita lata replet.
Urbis Ulyſſææ Patriarcham conſpice primum,
Nomine qui Thomæ vir geminatus adeſt.
Hic humeris fulcit Luſum præclarus Olympum;
Non oneri tanto dignior alter erit.
Infula quanta nitet! Lyſiæ quot Templa coruſcant
Paulini cætûs irradiata face!
Auguſtæ quondam cognomine Brachara nota
Bis gemino fulſit Præſule celſa pio.
Illa novam Graïo formam quæ debet Ulyſſi,
Cùm fugeret cautus dura pericla maris:
Illa, ſedet ſolium Luſi quâ Principis altum,
Quam Tagus auriferis curvus adorat aquis:
Sub juga, quæ tractus bellatrix mittit Eoos,
Velivoliſque Indum claſſibus æquor arat:

Illa

Illa triumphati ſpoliis Orientis onuſta,
Cui prono Ganges vertice præbet opes:
Effert illa caput terno Paſtore beatum,
Optima qui poterant Sceptra tenere Petri.
Occurret tibi dextra duplex circumdata flammis,
Ut plectant puri dogmatis igne reos.
Scilicet ardentem partitus Paulus amorem,
Exequitur vindex, quæ docet ore, manus.
Magnos cerne viros, doctâ qui Pallade florent,
Numina quos veluti nobilis Aula colit.
Hi pacis ſecreta tenent, hi regna tuentur,
Et reſerant Templi limina, Jane, tui.
Conſpice ſanguineos duri Mavortis alumnos,
Horrida qui belli caſtra furentis amant.
Quantos cerne levi ſcindunt qui marmora prorâ,
Et vigili quærunt ſidera mente nova?
Tota avium miſeranda cohors, quæ nocte vagatur,
Intonſique fugit ſpicula clara Dei:
Illa cohors avium tenebris aſſueta profundis,
Quæ didicit prædâ nocte ſilente frui:
Splendorem Pauli vitans ignava recedat,
Alis & quærat lugubris antra citis.
Antra petat querulâ deturpans aera voce,
Suppleat & gemitus flebilis unda rudes.
Cùm tuba convexum reſonat Paulina per orbem
Attonitæ ſimilis buccina quæque ſilet.
Regibus ille SACRUM nomen portavit IESU,
Affixo ut traheret perfida corda Deo.
Ergo regali decoratum nomine Paulum
Fas erit ut videat terra, polusque ſimul:

Infre-

Infremat horribili tenebrosa procella fragore,
Turbida crescat hyems, te duce, tutus ero.
Fulmina terrificus stridentia mittat ab axe
Juppiter æthereo, tu mihi laurus eris.
Insurgant venti, surgat nimbosus Orion,
Leniter aspirans tu mihi flamen eris.
Mugiat aut Taurus, vel rugiat ira Leonis,
Blandisonus tanto Nomine cantus erit.
Si pelagus cumulos ad sidera tollat aquarum,
Intentetque rati damna timenda meæ:
Annue None meis jam nunc clarissime votis,
Et placido nutu dirige navis iter.
Nubila si densâ maculent caligine cœlum,
Quod sequar, irradians tu mihi sidus ades.
Sidus ades magnum, primo cùm tempore flores,
Nam soboles magno digna parente micas.
Ne dubites; domus alta refert quâ natus avorum es
Nobilitate vagi sidera clara poli.
Surculus es vernans augustâ ex arbore Regum,
Qui Lysiæ dextrâ Sceptra decora regunt.
Stemma vide Regum: nunc aspice stemma tuorum,
Regia consimiles utraque parma facit.
Utraque parma refert delapsa ancilia cœlo,
Quæ primo Alphonso detulit ipse Deus.
Ter denos hîc cerne, quibus venundata, nummos,
Sacra Redemptoris membra fuere pii.
Scutula quinque notant totidem cava vulnera, mitis
Corpore conservat quæ redivivus Amor.
Moles illa caput, quæ puro condit Olympo,
Montis & elati culmina celsa premit;

Illa

Illa memor ſervat quos Brigantina propago
Pallade vel celebres, vel tulit enſe viros.
Hîc honor, hîc præſtans virtutis vivit imago:
Hîc ſunt Maiorum facta legenda tibi.
Marmora cônſpicies vario maculata colore,
Queis arte intextis nobile ſurgit opus.
Porticus alta patet Pariis camerata columnis,
Quam decorant gentis ſtemmata clara tuæ.
Ille eſt ALPHONSUS ſoboles generoſa Joannis,
Auguſtum referens moribus ille Patrem.
Hunc toga ſolertem, celebrant hunc arma ferocem:
Quid mirum! ſagulo par fuit ille togâ.
Hic eſt ALPHONSUS, quem tunc Brigantia primi
Excelſo recolit munere celſa Ducis.
Sanguinis egregio jure eſt decoratus honore,
Regali generi nam decet iſte gradus.
Ille Beatrici felix uxore (Beatrix
Quæ fuit ALPHONSI ſanguine digna toro:
Namque triumphalis proles clariſſima Nonî
Detulit ALPHONSO dote parentis opes.)
Protulit in lucem, cœlo aſpirante, nepotes,
Quos Orbis Regum pronus honore colit.
Regia Sceptra vide toto dominantia mundo,
A Luſo ALPHONSO ducere crede genus.
Purpura quanta rubet gemmis inſignis, & auro
ALPHONSI auguſto ſanguine tincta rubet.
Regibus ALPHONSUS par eſt, regalia jura
Tempore venturo Regia pompa notat.
Exitus acta probat, probat immutabilis ordo
Omnia diſponens, fata benigna probant.

* Si

Si dubitas, tibi quartus adeſt Rex ille Joannes,
Vincula qui duri ſolvit Ibera jugi.
Alphonsi ſextus fuerat ſucceſſor, & hæres,
Raptaque reſtituit Lyſia regna ſibi.
Sed toga concedat, præcedat laurea linguam:
Nunc proavi magni bellica facta vide.
Optimus immensâ currit Pater æquora claſſe,
Moleque ſub tantâ cærula vaſta gemunt.
Marmora quâ ſindit genitor, regit ipſe triremem:
Non alio poterat ſolvere vela duce.
Triplex vela facit ſoboles animoſa Joannis,
Quam ſocio eduxit pulchra Philippa toro.
Maior erat Princeps Eduardus nomine, vitam
Impia cui longam ducere fata negant.
Heros alter erat Petrus fortiſſimus, Orbis
Diffuſi ſeptem cui patuere plagæ.
Tertius Henricus rutili ſpeculator Olympi,
Ignotæque audax primus arator aquæ.
At Pater invictus tenero non captus amore
Roboris Alphonso præmia digna dedit.
Avertunt proras quà ſurgit Martia Septa,
Hiſpani quondam perſida cauſa mali.
Pectora Maurorum non quaſſit frigidus horror,
Barbara nec preſſit pallidus ora timor.
Intenti expectant Luſos in bella ruentes,
Et vitam intrepido fundere corde parant.
Non opus eſt vallo, nil bellica machina prodeſt,
Nam pro mille viris impiger unus adeſt.
Proſilit in Libycam Fogacia primus arenam
Sedulus, Alphonsi Martia ſigna ferens.

Non

Non fert impatiens meditati temporis horam,
Corda nec accendi concita voce tubæ.
Irruit ALPHONSUS, facto petit agmine portam,
Quâ pateat Lusis arcis ad alta gradus.
Nec mora, vi subito patuerunt limina, durus
Instat Arabs; hostes pellere posse putat.
Maurica gens ferro tentat reparare ruinam,
Ultima sed nequeunt damna fugare necis.
At jam fata diem minitantur dira supremam,
Septaque sub Lysio jam pede victa jacet.
Compita barbarico videas madefacta cruore,
Fluminis & fusus munera sanguis agit.
Corpora corporibus videas cumulata peremptis,
Dumque silent, Lusum nomen ad astra ferunt.
Canities veneranda ducis, quem tempore longo
Reddidit expertum nobile Martis opus,
Expavit, Maurorum acies cùm vertere terga
Vidit, & illachrymans hos dedit ore sonos.
Si placuit Superis tam dirâ occumbere sorte,
Fiat, sed doleo! Me duce Septa cadit!
Fervida dum viguit, caderem si morte, juventus,
Non modo vidissem tristia fata senex.
Non mihi sidereos fas est avertere casus,
Aut indignantis fulmina tetra poli.
Qui poterit, fugiat sævi discrimina belli,
Ut vitæ servet lumina chara suæ.
Excussit servile jugum celeberrima Septa,
Maurica signa cadunt, Lysia signa volant.
Defecit jam Luna ferox, nitet aureus ille
Sol duræ affixus membra sacrata Cruci.

Impia lex tenebras patitur; lex vera resurgit,
Barbara delentur sacra Joannis ope.
Bacca placet multis, aliis pretiosa supellex,
At præda Alphonso regia sola placet.
Sola placent animo regali consona: gazas
Despicit, Alphonsum gloria Martis alit.
Sexcentis Septæ palatia nixa columnis
Optima pervigilis signa laboris erant.
Alphonsum dignis oneratâ mercibus alno
Ostia conspicies vasta subire Tagi.
Hisce venit spoliis Princeps ditissimus: ollis
Perpetuo vivet structa superba domus.
Ille coronato surgit qui vertice palmâ,
Cujus & infando tela cruore rubent:
Dux Ferrandus erat, belli qui ductus amore
Lysia regna fugit, barbara rura petit.
Quà Libycæ surgunt fatalia mœnia Tingis,
Quæ miserâ Lusûm turgida clade tumet:
En Ferrandus agit Mauras mucrone phalanges,
Tradit & exangui corpora multa neci.
At pretio quanto stetit hæc victoria? Magni
Punica Ferrandi terra cruore madet.
Rursus ad arma volat, rursus quatit impiger hastam,
Sed lauros Lusis astra maligna negant.
Ordine Lusiadûm procedunt agmina, Maurus
Instructas acies ad fera bella movet.
Utraque gens pugnat, cæsus cadit undique miles,
Undique fit clamor, classica rauca sonant.
Attamen haud valuit virtus abducere casum,
Bellica perniciem nec reparare manus.

Inter-

Interdum videas virtutem cedere fatis,
Nam modo victus abit, qui modo victor erat.
Ecce iterum FERRANDUS adit Maurusia regna,
Gaudeat ut tanto Martia Septa Duce.
Illic fulmineo debellat robore Mauros,
Priscaque barbarico damna cruore lavat.
Bellica vidisti FERRANDI gesta cruenti,
Quæ, modò conspicies, gesserit ille togâ.
Rex Alphonsus adhuc florens puerilibus annis
Haud poterat blandâ Sceptra tenere manu.
Quæritur intereà solers FERRANDUS, ut æquæ
Suavia Justitiæ providus acta regat.
Tempora decurrunt, solio dominatur avito,
Martiaque Alphonsi dextera Sceptra gerit.
Tendit in Arsillam gnato comitante Joanne
Principe, ut antiquûm facta sequatur avûm.
Illo absente leves regni FERRANDUS habenas
Flectit; venturo tempore regna vide.
ALVARUS en proles FERRANDI tertia primi:
Qui vult à teneris horrida castra sequi.
Ardor agit juvenem Mavortius; ardua quæque
Appetit, ut gnatum se probet esse Patris.
ALVARUS at quamvis cupiat se exponere bello,
Persequi & impavido pectore tentet Afros:
Argumenta novi quamvis det certa Gradivi,
Terreat & Pœnos nominis umbra sui:
Non patitur fortuna; rotam delira fugaci
Orbe levem girat; non habet illa fidem.
Fratrem namque videns conjectum in vincla, Joannis
Jussu, qui Lysiæ patria Sceptra regit.

Terri-

Territus Hispanam subito petit ALVARUS Aulam,
Ut simili clarus stemmate quærat opem.
Decipit haud illum memoris sententia mentis,
Nec solet ut miseris, irrita vota cadunt.
Elisabeth solio quæ tunc dominatur Ibero
Exulis assimili sanguine clara micat.
ALVARUS excipitur quanto fugitivus honore!
Affini quantum detulit illa decus!
Eximio Domini titulo insignivit, & alto
Castellæ illustrat munera magna viro.
Regia sed postquam deferbuit ira Joannis,
Ivit & in ventos languida vita leves;
Volvitur extemplo Lysius sine murmure pontus,
Lenis & immites aura serenat aquas;
In patrios redit ille lares, & jussa facessens
Optatas cunas Emmanuelis adit.
Tunc deerat proles Roderico mascula Mello,
Quem celebrem reddunt splendor, & arma virum.
Unicus antiquâ pendebat ab arbore fructus,
Æquè divitiis, ac decoratus avis.
Mello erat excelsas inter clarissima stirpes,
Munera seu recolas, tempora sive putes.
ALVARO, ut egregiæ turgescant germina gentis,
Fœdere conjugii clara Philippa datur.
Altius haud poterat consurgere Mellia proles,
Nam Brigantino stemmate nixa viret.
Conjugium oh! felix! felix Hyminee! feracem
Multiplici gnato qui facis esse Patrem.
Quatuor hîc fulgent regali sidera luce,
Et totidem illustrat flamma corusca domos.

Porta-

Portalegre Domus longo ſpectabilis ævo
(A veteri Juli ſanguine ducit avos:)
Quam latè radios hæc ſpargit ſtella, Joanni
Inclyta cùm fauſtâ ſorte Maria datur.
Altera Franciſco nupſit (quæ dicta Joanna)
Qui Comitis primus clarus honore fuit.
Si Brigantinus Vimioſum ſanguis adornat
Regius, agnato ſanguine rurſus ovat.
Ille Beatricis pulchro quæ nomine gaudet,
Hæc eſt Averii fons, & origo Ducum.
Cum illâ regali genitus nam ſanguine Princeps
Sacrati voluit vincla ſubire tori.
Eliſabeth retulit, ſidus, quod nomine pulchram,
Disjunctis lucem ſpargere cerno plagis.
Quippe Belalcaſſar Comes inclytus, altus Iberus,
Conjugio reliquis ſic cupit eſſe parem.
ALVARE quantus eras? quanto ſplendore micabas
Sanguinis? & quoties jure vocandus avus?
Quæ modo comparet, proles eſt maſcula duplex,
Ille Rodericus, Jorgius alter erit.
Hic minor eſt natu, magno ſed ſtemmate natus
Nobilis Heſperiæ regna vetuſta petit.
Illîc Gelvenſis Comitatûs gloria notum
Efficit, & dignâ conjuge dignus adeſt.
Inſpice multiplici fæcundum prole parentem,
Et quanto illuſtris fulget honore ſenex.
Namque Jamaîcæ titulis, Ducis atque Veraguas
Nonius exultat poſteritate nepos.
Regalis tandem cùm deficit ordo nepotum,
Regalis ſurgit prole novata Jamis.

Ille

Ille triumphali redimit qui tempora fronde,
  Armaque Maurusi sanguinis imbre rigat;
Hic est impavidus RODERICUS Marchio primus
  Ferreiræ, primus Tentugalisque Comes.
Aspera cùm juvenis ruit in certamina, Mauros
  Insequitur, Luso Principe digna facit.
Auxilio quam promptus adest! Arzilla superba
  Milite cùm vidit mœnia cincta truci.
En rostrata Tagi jam deserit ostia classis,
  Quam Brigantinus Jamius ipse regit.
Sanguine progenitus Jamium comitatur eodem,
  Atque utrumque idem bellicus ardor agit.
Mens est Augusti, Lysium qui temperat axem,
  Sanguineâ Mauras sternere cæde manus.
Ecce volat classis ventis agitata secundis,
  Vincula jamque tenent littore curva rates.
Urbs erat in Libycis Asamor celeberrima terris,
  Quæ Lusum indignans abjiciebat onus.
Ergo afflicta gemit Lusâ circumdata classe,
  Nam videt invicto colla premenda pede.
Barbarus obriguit gelidâ formidine miles,
  Turpiaque infecit pallidus ora timor.
Mœnia turritæ fortissima deserit urbis,
  Et tremulis præceps passibus antra petit.
Non opus est armis; satis est vidisse Jameti:
  Felix, cui supplet nuntia fama neces!
Sic præclara viros sequitur victoria magnos,
  Hostiles prædas dùm sine clade ferunt.
Sic Lysium Regem RODERICI dextra coronat,
  Et bello egregius quærit avita loca.

Hic

Hic eſt FRANCISCUS proles Rodericia Mello,
Pacificæ celebris qui viget arte togæ.
Quæ faciunt memoranda ævo monumenta virorum
Optimus eſt thalamus, Martis ad arma furor.
Sat morti, Martique datum: modo pacis amator
Eugeniam tentat ducere jure tori.
Tentat, & aſſequitur: cognatio ſanguinis urget,
Fœdera confirmant & ſocer, atque gener.
Ille eſt Eugeniæ conjux clariſſimus altæ,
Hæc Brigantini filia pulchra Jamis.
Illa dedit natis auguſti ſanguinis undas,
Quas clari è venis hauſerat illa patris.
NONIUS ille Comes vir pace inſignis, & armis
Pro patria didicit vincula dura pati.
Hic eſt ille Comes, ſocio quem fratre Sebaſti
Luſa fides cogit regia caſtra ſequi.
Illa dies nigro ſemper ſignanda lapillo,
Quâ Lyſiæ occubuit gloria parta Ducum.
Ardua dùm triſtis reparare pericula belli,
Sortis & adverſæ damna inimica volunt;
Occidit heu! ferro pars altera cæſa cruento,
Altera pars duro compede vincta gemit.
Heu! cadit egregius juvenili ætate RODRICUS,
Dùm Lyſio Regi firmat amore fidem.
Ne rogites tantas cur proferat Africa palmas,
Si Brigantino ſanguine terra madet?
NONIUS infami detentus carcere tandem
Liber ut evadat, mitia fata juvant.
Ecce alius FRANCISCUS adeſt imitator avorum
Optimus, & ſecli gloria magna ſui.

** Ille

Ille ſalutavit regali in ſede Joannem
Sanguine conjunctum proximiore gradu.
Felix, qui potuit patriam renovare ſalutem,
Solvere & Hiſpano Lyſia colla jugo.
Filius eſt Heros, nomen cui Nonius, illo
Illuſtris fiet poſteritate Pater.
Ille Parens patriæ meritò vitam hauſit in urbe,
Quæ prior, ut vivat patria, ſigna tulit.
Vix dùm florebant primæ argumenta juventæ,
Creſcebatque viri dùm levis umbra genis:
Inclyta Tarteſſi domitrix Regina Leonis
Conſpicuum raro reddit honore Ducis.
Affinem voluit titulis ornare ſupremis,
Ut ſimilem ſummus condecoraret honor.
Mœnia tunc Luſus longo Badajocia vallo
Cingebat, ſperans belliger arce frui.
Nonius ecce volat ſolo ſe plura daturus
Millia, pro multis millibus ille ſatis.
Intereà fit pugna ferox, furit undique Mavors,
Machina terribili bellica voce tonat.
Omnia debellat virtus, metus omnia perdit,
Ille cadit cæſus, territus ille fugit.
Hoſtes alter agit repetitis ictibus, alter
Armorum abjecto pondere tutus abit.
Pulchra quidem valido ceſſit victoria Luſo,
Pulchrior à terno vulnere facta Ducis.
Scilicet impavidus ſprevit certamina Martis,
Ut documenta ſui roboris alta daret.
In Lyſiam victor recipit ſe Nonius Aulam
Pro patria effuſo ſanguine dignus avis.

Proſpe-

Prospera semideos non tantùm facta coronant,
Anxius Heroas perficit ipse labor.
Nonius Almeidam veteri petit exul ab urbe,
Quam Tagus auriferæ flumine lambit aquæ.
Exul erat, sed quanta viro præstantia! quantus
Debitus extorri jure dabatur honos!
Communi Rex ipse volens servare saluti
Nè subeat Martis dura pericla, jubet.
Non jussis parere libet regalibus, acri
Pectore namque Ducis bellicus ardet amor.
Oppida multa vides, quæ miles munit Iberus?
Exulis invictâ cerne subacta manu.
Reddita pax Aulæ, pax est reddenda labanti
Luso, nam lassos ipse triumphus agit.
Ille Parens patriæ lauro redimita virenti
Tempora Lusiadum pace coronat ovans.
Nonius ecce levi sulcat vasta æquora classe
Ducturus regno qui dare possit opem.
Res erat ad summum Lysiæ deducta periclum,
Regia nam proles mascula nulla viget.
Allobrogum sociare Duci natam ipse volebat
Princeps, quæ magnos unica monstrat avos.
Transferat ut sponsum classis dat carbasa vento,
Re tamen infectâ quam nova fama Ducis!
Mortales nequeunt vitam producere, finis
Omnibus unus adest: siccine fata volunt!
Nonius exanimis subiit discrimina mortis,
Pectore ne tanto numen inesse putes.
In luctus plebs fida ruit, patriæque parenti
Funeris irriguo tristis honore litat.


Ipſe etiam doluit caſum miſeratus Olympus,
Namque pias lachrymas imbre cadente dedit.
Inclytus Heroum rumor toto inſonet Orbe,
Unum præ cunctis fama loquatur avum.
Hìc quamvis, præclare puer, ſimulacra tuorum
Inſpicias, fulgent qui velut aſtra poli:
Non tamen hìc reſident, carâ dùm luce fruuntur,
Frigida ſed poſtquam corpora morte jacent.
At cùm rara modum virtus exceſſerit omnem,
Exanimes vivos tunc ſociare decet.
Vivit adhuc, vivatque JAMES per ſecula longa,
Quem patrem eximiâ tu pietate colis;
Hic illi debetur honos, hæc præmia, virtus
Sic ſolet eximios condecorare viros.
Quanta patri pietas? quanta eſt clementia? triſtem
Pauperiem largo providus imbre fovet.
Horrea, quæ tribuunt cælatum pluribus aurum,
Hìc reſerata pius ſemper egenus habet.
Virtus illa virûm, quæ rectos dirigit actus,
Alter & ut Janus lapſa, futura videt;
Emicat in magno numquam non patre: Tribunal
Dicere conſpicuum quod regit ipſe, poteſt.
Caſtoris, & Pici cedat memorabile nomen,
Annorum ſeries quos veneranda colit.
Cornipedis ſuperare levis docuere furorem,
Et premere ingenio terga fugacis equi.
Quâ moderatur equos JAMIUS pater inclytus arte!
Miranda aſpicies, non imitanda dabit.
Aſpice quam facili ſpirantes naribus ignem
In celeres gyros ducat habena manu.

Quadru-

Quadrupedum fortis ſpirantia comprimit ora,
Fræna reluctantes calce coercet equos.
Hos rapido videas agitare per ardua curſu,
In medioque alios ſiſtere cerne gradu.
Exhibuit Cæſar Latiæ ſpectacula genti,
Prælia cùm Circo taurus iniret equo.
Obſtupuit ludum meditans Romana juventus,
Cornua nam tauri calce domabat equus.
At modo concedant ſpectacula Cæſaris; illa
Obſcura abſcedant, nobiliora dabo.
Inſpice quadrupedem tanto ſeſſore ſuperbum
Munera qui fortis Bellerophontis agit.
Conſpicies taurum lunatâ fronte minantem,
Duraque terrentem pectora voce truci.
Fronte petit terram, mugitus aëra turbant,
Nubesque effoſi pulveris atra volat.
Impavidum generoſus equum calcaribus urget
JAMIUS, haſtili damna ſuprema minans.
Quadrupedem modo præpes agit, modo flectit in orbes,
Irruat ut cæco rapta furore fera.
Dum tamen impatiens ſpumas vomit ore furentes,
Sternere & armato vertice tentat equum;
Torquet equum velox, adigitque haſtile per armum,
Læthiferoque ruens vulnere taurus obit.
Quæ dat fors aliis, inſignis dextera patris
Efficit; haud caſu, jure Magiſter adeſt.
Hæc ſi Roma vetus validæ miracula dextræ
Cerneret, illa Jovem crederet eſſe Ducem.
Hæc eſt Heroum proſapia celſa tuorum,
Quos celebrat clarâ fama ſonora tubâ.

Hæc

Hæc imitanda tibi ſemper veſtigia; pectus
  Inſtrue magnanimum, par eris unus avis.
Quod decus à proavis hauſiſti ſanguine, reddet
  Clarius à ſummo quæ Jove nata Dea.
Stemmate ſi magni populis dominantur, & Orbi,
  Inſtructus doctis artibus aſtra regit.
Si modo te video tenero pede culmina Pindi
  Scandere, venturo tempore quantus eris?
Cùm puer argutæ producere germina mentis
  Incipis, ante annos crederis eſſe ſenex.
Primâ ævi nunc parte viges; aſſueſce vocari
  Jam puer, & votis annue None meis.
Nomine ſicque tuo mihi, te aſpirante, vocanti,
  Conficiet curſus ſurda Diana ſuos.



FACUL-

FACULTAS
SANCTÆ INQUISITIONIS.

Cenſura Reverendiſſimi Patris Antonii dos Reys Congregationis Oratorii Ulyſſipponenſis, Sancti Officii Cenſoris, Trium Ordinum Militarium Examinatoris, Bullæ Cruciatæ Conſultoris, Regii Hiſtorici Latini Portugalliæ, & Regiæ Academiæ Socii.

EMINENTISSIME DOMINE.

POema inſcriptum: Archiathenæum Luſitanum, ſive Regale Collegium Conimbricenſe, digniſſimum eſt, quod in lucem edatur, tum ob elegantiam, atque admirabilem carminum ſuavitatem; tum ob aſſertam, ac planè vindicatam tantorum illuſtrium Virorum memoriam, quæ elapſi temporis injuria penitùs interciderat. Quibus quidem accedit totius Poematis ſenſus verè pius, ac Fidei ſanctionibus minimè repugnans. Ulyſſippone Occidentali è Congregatione Oratorii, die 10. Martii, an. 1733.

Antonius dos Reys.

Cen-

Censura Reverendissimi Patris Ludovici Alvares Societatis Jesu, Serenissimi Portugalliæ Infantis D. D. Antonii à Confessionibus, Sancti Officii Censoris, & Trium Militarium Ordinum Examinatoris.

EMINENTISSIME DOMINE.

ATtentè legi Poema, mihi ab Emin. Vestra commissum, & ad Censoris trutinam explorandum, omni proculdubio eruditione plenum, nec tantum carminum legibus illigatum, sed numeris omnibus absolutum, quod in lucem edere desiderat ejus Author, admodùm R. P. D. Josephus Barbosa, præclaræ Religionis, à Divina Providentia nuncupatæ, Socius, & Eximii Patriarchæ D. Caietani Filius. Vir planè omni studiorum genere diligentissimè versatus, utpote cui Sanctorum Patrum volumina evolventi, historiarum veritatem scrutanti, & reconditis sacrorum librorum mysteriis inhærenti, adhuc suppetit tempus, quod humanioribus literis impendat. O quàm benè altioribus curis distringitur, qui, dum tantisper quiescit, & à scribendi fatigatione respirat, Parnassi flosculos colligit ad juventutis coronas! Hinc amplum tanti hominis ingenium non metior, sed conjicio: quod enim magnum à severioribus ejus studiis non expectabimus, quando ludicræ illius occupationes sapientum admirationem advertunt. Quantum laudis, & gloriæ in Brigantinæ

gantinæ Domûs historia, cui pro viribus incumbit, sibi ascifcet, quando succissivæ horæ hos fructus pariunt. Si tanti operis materiam discutio, nihil sublimius, si carminum elegantiam, nihil ornatius, si totius Poëmatis concinnitatem, nihil æqualius. Quid proderat Regali Collegio tot Magistros coluisse, quot Academiæ Oracula, tot instruxisse Alumnos, quot Convictores, si cantu suo Josephus Famam non evocaret, ut eos linguis suis extolleret, & per universi Orbis nationes circumferret? Actum erat de Virorum multitudine, quos licèt omnibus disciplinis excultos, mortalitas, & oblivio eodem in sepulchro condiderat, si in eam ætatem non incideret Josephus, qua verè Filius accrescens innotuit, ut è tenebris in lucem revocatis incrementum afferret, vitam restitueret, & immortalitatem donaret. Nec solùm eorum, qui fato jam concesserunt, memoriæ consulit, sed etiam vivorum facta commemorat; ut apud posteros liqueat, nullum fuisse Regalis Collegii Hospitem, qui rebus præclarè gestis sui Principis, & Fundatoris Coronæ, tanquam pretiosissima gemma non mereretur insigi. O' ter, & amplius felix Regale Collegium! Cui Divi Pauli gladius pro defensione, Josephi Poëma pro titulo, calamus pro gloria servit, & Apollineas lauros adnectit ad triumphos. Credo equidem, si hunc suæ virtutis præconem invenisset Alexander, laudatoris Homeri fortunam Achilli non invideret. Opus igitur adeò limatum, & dignissimum, quod vigeat memoria seculorum omnium, posteritas efferat, & æternitas semper intueatur, non tantum nostris, sed

omnium gentium literis consignetur; cùm nihil contineat, quod nostræ Catholicæ Religioni dissonet, aut à castis moribus abhorreat; si tamen Emin. Vestræ placeat. Hæc mea Censura. Ulyssippone, è Domo Professorum Societatis Jesu, à Divo Rocho dicta, 23. Aprilis 1733.

Ludovicus Alvares.

VIstas as informações, póde-se imprimir o livro, de que se trata; e depois de impresso tornará para se conferir, e dar licença, que corra, sem a qual naõ correrá. Lisboa Occidental, 24. de Abril, de 1733.

Cunha. Teixeira. Soares.

FACUL-

FACULTAS
ORDINARII.

POde-ſe imprimir o livro, de que ſe trata; e depois de impreſſo tornará para ſe conferir, e dar licença, para que corra. Lisboa Occidental, 25. de Abril de 1733.

Gouvea.

FACULTAS
REGIA.

Censura Excellentissimi Domini D. Josephi Michaelis Joannis de Portugal, Comitis do Vimioso, Regiæ Maiestatis à Conciliis. & Regiæ Academiæ Socii.

DOMINE.

VOlumen, quod judicio expendere me jussisti, compositum à Sapientissimo Viro P. D. Josepho Barbosa, Civitatis tuæ lumine, ac ornamento, diligenter evolvendum putavi: qua in re felicem me esse, beatumque Civem jure, ac merito existimo; nam cùm tibi imperanti vel invitus (quod nunquam spero fore) debeam perpetuò obedire, nunc tuo obtemperans imperio, meæ etiam obsequor voluntati. Quid enim tam optabile, tamque expetendum nobis unquam esse poterat, quàm de illo opere liberam sententiam ferre, in quo nihil quidem invenimus non summa laude, atque admiratione dignum? In quo vitas clarissimorum Virorum ex Regali Divi Pauli Collegio ornatissimis, atque optimis versibus miramur scriptas? In quo leges Poëmatis observatas, historiæ verò

verò non neglectas videmus? In quo cum verborum copia delectum, cum lepore gravitatem dicendi, cum perſpicuitate acumen, artificium cum veritate contendere fatemur? Cujus lectione & delectamur cum doctrina, & erudimur cum voluptate? Cujus denique ſtudio erecti, ad præclarè tum ſcribendum, tum faciendum vehementer incitamur? Quare cùm Poëma perfectum ita ſit, ut nihil poſſit eſſe perfectius; & cùm Author egregius ſic, ut Virgilii, Liviique nomen habere mereatur, hoc eſt, ut Poëtæ, & Hiſtorici excellentis diverſum inter ſe munus uno tempore ſuſtineat; ſuppliciter te, ac demiſsè oro, Summe Rex, ut librum non tantum divulgari ſinas, ſed ipſe lectitare velis; non quod tanto, tamque auguſto exemplo egeant cupidi legentium animi; ſed quod omnibus conſtet, pateatque te, quem maximum literarum Fautorem, atque Adjutorem eſſe prædicamus, ad bonarum artium ſtudia non jam allicere, ſed impellere imitatione tui cives tuos conſueſcere. Hæc mea ſententia, quam tuo, Domine, ſingulari judicio æquè, ac me ipſum poteſtati tuæ Regiæ, permitto. Ulyſſippone Occidentali, Calendis Maiis, anno Domini M. DCC. XXXIII.

Comes Vimioſenſis.

*** 3 Que

QUe se possa imprimir, vistas as licenças do Santo Officio, e Ordinario; e depois de impresso tornará à Mesa para se conferir, e taxar, e dar licença para correr, sem a qual naõ correrá. Lisboa Occidental, 4. de Mayo de 1733.

Pereira. Teixeira.

VIsto estar conforme com o Original, póde correr. Lisboa Occidental, 5. de Fevereiro de 1734.

F. R. Alencastro. Cunha. Teixeira.
Sylva. Cabedo.

VIsto estar conforme com o Original, póde correr. Lisboa Occidental, 6. de Fevereiro de 1734.

Gouvea.

TAxaõ este Livro em papel em seiscentos reis. Lisboa Occidental, 10. de Fevereiro de 1734.

Pereira. Teixeira. Rego.

LECTO-



LECTORI.



UM juga Parnaſſi nuper frondoſa ſubirem,
Splendet ubi Clarii nobilis Aula Dei.
Terruit extemplo rutilans me Numinis ardor,
Et mea perſtrinxit lumina flamma micans!
Pallida mortifero ſtupuerunt membra timore,
Edere nec valuit preſſa loquella ſonum.

Exani-

Exanimis jacui, gelidæ nam mortis imago
Ultima terribilis fata videnda dedit.
Janitor at prudens caſum miratus acerbum,
Mì penè exangui, talia dicta refert.
Ecquis es ò Vatum qui celſa palatia quæris?
Humanoque premis regna beata pede?
Non tua divino caluerunt corda furore,
Nec rapuit blandam ruſtica dextra chelin.
Credo equidem, nec vana reor, te prorſus amico
Caſtalio nunquam fonte levaſſe ſitim.
Suſpicor ardentes te non potaſſe liquores,
Queis Vatum Aonidum pectora turba rigat.
Eia age, languentem cura jam promere vocem,
Et linguæ promptus ſolvere vincla tuæ.
Attonito ſimilis poteram vix ferre loquellam,
Addidit aſt animos vocibus ille ſuis.
Non ego potavi dulces Aganippidos undas,
Nomine nec notus clarus Apollo mihi:
Non ego Caſtaliæ libavi flumina Lymphæ,
Nec tuus ò frondens accola Cirrha fui.
In mentem ſubiit Cœtûs Regalis origo,
Luſo qui à duplici Principe nomen habet.
Inclyta conſurgunt Paulinâ mœnia famâ,
Et Sociûm egregio nomine Paulus ovat.
Hæc ſum demiſſis exponere verſibus auſus,
Robuſtis impar viribus eſſet onus!
Mì placet in lucem tenuem proferre libellum,
Lumine ſi dignum doctus Apollo probet.
Hic juga Parnaſſi me ſcandere celſa coegit,
Et Phœbo ſacras ſuaſit adire vias.

Audiit

Audiit impatiens, tremulo quæ murmure dixi,
Janitor, atque minans incipit ore loqui.
Hìc ubi fatidico resonant vaga carmina cantu,
Et gratis fidibus plectra canora sonant:
Hìc ubi sola patent Heliconia culmina solis,
Quos Deus Aonio Cynthius igne fovet:
Hìc ubi magnorum vivunt monumenta Virorum,
Quos longum æterno tempus honore colit:
Audes ignarus venerandum attingere limen?
Et sacro tentas jungier ipse choro?
Carmine confidis Pauli describere Cœtum,
Cui foret inferior maximus ille Maro?
Ille Maro, Venusinus Olor, Sulmonia proles,
Et quibus Aonidum gratior umbra fuit:
Viribus haud poterant æquis celebrare decora
Gesta Virûm, Paulus quos tegit ense, manu.
Sed quò verba fero? Phœbo si judice gaudes,
Judicis ora time, jura severa dabit.
Ecce adytus patuit, radiantia lumina vidi,
Custodisque gradus territus ipse sequor.
Quot nemora aspexi Phœbæâ consita lauro,
Vatum quæ cingit fronde virente comas!
Illic perpetuo ridebant gramina vere,
Puraque felices unda rigabat agros:
Illic nulla hyemis frigentia signa rigebant,
Nec Notus immitis nubila flabra dabat:
Picta cohors avium dulci modulamine cantûs
Curarum miseris triste levabat onus.
Altera custodi patuerunt limina, maius
Cerne modo reliquis surgere, dixit, opus.

Obstu-

Obſtupui, dubiusque gradum vix ferre valebam,
Parnaſſi vidi cùm ſimulacra Deûm.
Numina conſpexi geminata Poeſeos, ille
Virgilius, Phrygii qui Ducis acta canit.
Alter erat toto clarus Camonius Orbe,
Grandiſonâ modulans Lyſia facta tubâ.
Parte aliâ duplex Vatum fulgebat imago,
Alter Homerus erat; Caſtrius alter erat.
Scilicet Æolidem cantu celebravit uterque,
Unâ non poterat voce per aſtra vehi.
Errores Graii Graius deſcribit Homerus,
Mœnia Ulyſſææ Caſtre novata canis.
Extollat facunda ſuos gens Itala Vates,
Germani celebrent voce tonante ſuos.
Dulcia nam Luſûm miratus carmina, ſedem
Illis, quam refero, rectus Apollo dedit.
Janitor at demum, reſeratâ Principis Aulâ,
Me demiſſa Deo reddere vota jubet.
In ſolio gemmis, rigidoque adamante coruſco
Muſarum Præſes metrica jura dabat.
Caſtalidum ingenioſa cohors, ſacra turba Sororum
Ornabat veluti pulchra corona thronum.
Subſtiti, & expavi; ſed Numine flante libellum,
Ut probet, exhibuit non tremebunda manus.
Accepit, vidit, volvi mea carmina juſſit,
Audiit, & gratos hos dedit ore ſonos.
Archiathenæum dubitas quid ferre per Orbem?
Et luci Heroum grandia facta negas?
Illa triumphatis felix Collimbria Mauris
Archiathenæo rurſus ad aſtra volat.

Condi-

Conditor æternâ vivit poſt fata Joannes
  Laude, nec inferior jure Sebaſtus erit.
Extruxit primus Regali mœnia ſumptu,
  Alter redditibus largus adauxit opus.
Artibus eximios cura evulgare Magiſtros,
  Tempore nè pereat fama decora Virûm!
Nomina nè tardes tantorum promere Vatum,
  Quos tulit Aonidum candidus ille chorus.
In lucem generoſa cohors jam prodeat almam,
  Ut Cœtus Pauli Lyſia regna beet.
Materia exuperat vires, mortalia vincit
  Pectora; laudis erit quam tibi larga ſeges!
Accipe clara meæ divinæ oracula vocis,
  Atque animo memori Delia verba tene.
* *Si Paulum noſsèt, Paulo maiora canamus*
  Auderet nunquam dicere Virgilius.
Audivi ſermone gravi quæ dixit Apollo,
  Et dextræ ſupplex oſcula grata dedi.
Excipiat Lector modò carmina noſtra benignus,
  Deleat & doctus quæ minus apta legit.

* Epigramma Martialis Luſitani Reverendiſſimi Patris Antonii dos Reys, Congregationis Oratorii Ulyſſipponenſis, Regii Hiſtorici Latini Portugalliæ, Regiæ Academiæ Socii, Sancti Officii, & Bullæ Cruciatæ Conſultoris, Triumque Ordinum Militarium Examinatoris.

ARCHIA-



ARCHIATHENÆUM LUSITANUM.



Uriferis quà Monda fluit ſinuoſus arenis,
Quà ſegetes, & prata rigat, quà fertilis unda
Perpetuis decorat viridantia floribus arva,
Herculeâ fundata manu, contermina cœlo
Leniter aſſurgit celebris Collimbria, clarum
Conditor ut ſervet rutila inter ſidera nomen.

Hanc velut Elysias ſedes, velut atque beatas
Certatim petiere urbem Phœnicius oſtro
Turgidus, Alanus, quos & Mareotica tellus
Protulit, Argivus patrio ſermone ſuperbus,
Romanus rerum dominus, quem poplite curvo
Orbis adoravit terrore oppreſſus, & armis;
Celta Suevorum gens aſpera, durior ipſo
Ære Gothus, rigido qui barbara pectora ferro
Induit, & ſævâ lætatur cæde cruentus.
Hos ſequitur fera bella movens Mauruſia turba,
Quâ velut Omnipotens demiſſo fulmine ab alto
Hiſpanam voluit peccantem perdere gentem.
Hinc gemit Heſperium Mauro ſub milite Sceptrum,
Antiquique ſilent præconia celſa decoris.
Sic ſolet infelix Regum plebs ſolvere pœnam!
At Sator æternus caſus miſeratus acerbos,
Bætica regna videns tantis agitata ruinis,
Deſtinat auguſto Gothorum è ſanguine natum,
Ut reparet tot damna novis oblita triumphis,
Atque ſit una mali, patriæque ſalutis origo.
Inſtruit Hiſpanum Ductor Pelagiùs agmen,
Reliquiasque ſuæ vocat in certamina gentis.
Martem crede Ducem, Libycos & crede Leones,
Qui fidei ducti pia caſtra ſequuntur amore.
Undique Maura fremit gens impia, claſſica rauco
Corda cient ſtrepitu, latos diffuſa per agros
Agmina conturbant animos, cædemque minantur.
Dux tamen impavidus Superûm virtute phalanges
Mauro-

Maurorum sternit, spoliisque opulentus opimis
Innovat imperii fundamina clarus aviti.
Postquam vitales liquit Pelagius auras
Ardua venturis tradens monumenta laborum,
Regibus una fuit Mauros depellere cura,
Ablatumque sibi, & Christo protendere regnum.
Hos inter, tantosque Duces, quos Numen amavit,
Queis & opem in bello cœlestis turba ferebat,
En Ferrandus adest re Magnus, nomine primus.
Æstuat augustum bellorum turbine pectus,
Pronus ad arma furor meditatur castra, ruinis
Barbaricis vult facta sequi generosus avorum.
Plurima Ferrandus dubiâ dum mente revolvit,
Et versat quæ digna pio sint Principe gesta,
Sese offert oppressa jugo Collimbria duro,
Tristiaque ex imo suspiria pectore fundens,
Talia verba refert lacrimis sociata profusis.
Rex Auguste, potens regni dominator Iberi;
Cujus ad aspectum pallescunt ora cruenti
Maurûsi, subitusque nigros pavor occupat artus:
Proh dolor! illa potens fueram Collimbria quondam,
Tangere quæ poteram sublimi vertice cœlum:
Illa fui, quæ jura dedi, cum fortis Ataces
Imperium regeret, palmasque ex hoste referret.
Nobile sit testis, turres quod stemma coronat,
Conjugis Augustæ quo picta videtur imago
Cindasundæ, oculis, manibusque superna vocantis
Auxilia, inclusæ paterâ, frontemque coronâ

Cingentis, quam gemma facit Gangetica pulchram.
Ad dextram insurgit pateræ leo martius ungue,
Explicat ad lævam sinuosa volumina serpens:
Diruta nam sapiens reficit dum mœnia Princeps,
Ermenericus adest, qui Regis honore Suevis
Imperat, & bello deperdere tentat Atacem.
Non tulit ille moras, hostem petit impiger armis,
Jam cædi dant signa tubæ, jam cæsa Suevûm
Turba cadit, fuso tinctus Rex ipse cruore
Præcipiti dat terga fugâ, jam pacis amicæ
Fœdera deposcit, firmantur fœdera, gnatam
Conjugio jungit stabili, pax alma triumphat.
Victor ubique volens studii dare signa jugalis,
Nobilitat sponsæ regali stemma figurâ.
Indicat auratus Crater genialia jura,
Signat utrumque leo Regem serpensque potentem,
Utraque nam fulget serpente, & parma leone.
Ast ubi nunc laudes? Ubi nunc est gloria, vastum
Cùm mea me totum celebrarunt facta per Orbem!
Nunc igitur miserere urbis non digna ferentis,
Arma humeris apta, delectas coge cohortes,
Barbara solve juga, & duras abrumpe catenas,
Ut te læta choros Collimbria vindice ducat.
Audiit Hispanus Princeps suspiria, voces,
Queis petit auxilium mœrens Collimbria, votis
Annuit, & toto meditatur pectore bellum.
Ergo tota sacro fervescit Iberia Marte,
Rex iter aggreditur, socias vocat undique turmas.

At

At belli jam fama novi pervenerat urbem,
Terrueratque animos Regis præsentia Magni.
Non tamen infractæ vires, non frigidus horror
Occupat ora Virûm, nec languent corda timore.
Castra locat, campo sese explicat agmen aperto,
Imperat & muros armato milite cingi.
Telis obsidunt adytus, angusta viarum
Opposito mucrone premunt: spes nulla salutis:
Interea delecta manus, delecta juventus
Horrida pro Christo subiens discrimina Martis
Ærea conatur portarum frangere claustra,
Vel turres æquare solo: labor irritus: hostes
Mœnia præstanti vigiles virtute tuentur.
Cinthia septenum jam tunc impleverat Orbem
Hesperio postquam fuit urbs circumdata vallo:
Quis pudor ora premit! Ferrandum quanta fatigat
Cura! dolor quantus! dubio mens fluctuat æstu.
Jam bellum tentasse piget, jam pœnitet acti;
Cogitur in vastam remeare inglorius Aulam.
Regius ast animus casu non fractus iniquo
In nova bella ruit, muros conscendere tentat,
Perque hostes aperire viam, quà turribus altis
Christiadûm vexilla leves pandantur in auras.
Illuxit festiva dies, quæ fausta coronam
Imposuit bello, Martisque coercuit ignes.
Ordine signa volant, rapidus furor excitat omnes:
Ductoris Ferrandus agit Rex munera, flammis
Incendunt alii portas, in mœnia scalas

Expos-

Expoſcunt alii; cœlum ſonat omne fragore:
In Mauros movet arma truces generoſus Iberus.
Barbarus Hiſpanos celeri virtute repellit:
Nititur optatum gens utraque ferre triumphum,
Nobilis in neutram pendet victoria partem.
At Pater ille potens, cujus pia dextra ruinam
Auxilio reparare ſolet, certamina cernens
In medio conſtare gradu, cito mittit ab arce
Ætherea, qui damna queat miſeranda levare.
Advolat è ſuperis Dux Jamius impiger, ille
Hiſpanos docuit fidei qui dogmata primus,
Sanguine quique prior firmavit verba Magiſtri:
Terga premit ſpumantis equi, lorica decorum
Aurea defendit pectus, lævam aureus umbo,
Elatis ornata caput tegit aurea criſtis
Caſſida, diſtricto fulget ſacra dextera ferro.
Vix turmis bellator eques ſe junxit amicis,
Cum ſubitò revocant animos, jam fervidus ardor
Agmina contemnit, Mauris & fata minantur.
Jamius at tonitru violenta, coruſcaque proles
Fulminis inſtar equum rigidis calcaribus urget,
Per mediosque hoſtes rutilo mucrone phalanges
Dejicit armatas, cuneosque in bella ruentes.
Fulmineos ictus fruſtrà Mahometica turba
Effugit, horribilis terret præſentia vultûs.
Jamque fugam meditatur Arabs, ſed cæſa cadentûm
Corpora, quam ſperat, prohibet ſperare ſalutem.
Antra petunt, at pœna malos comitatur ubique,

Quà

Quà fugiunt, pereunt, pereunt, quà vivere tentant.
Sanguine tota rubet felix Collimbria, Monda
Flumine purpureo rapidus petit æquoris undas.
Excussit virtute jugum Collimbria sacrâ,
Barbara dissolvit Maurorum vincula, collum
Extulit, & fastos decoravit grata triumpho.
Ipse triumphali redimitus tempora lauro
Purgari Rex templa jubet, mox providus urbem
Ingreditur magnâ procerûm comitante catervâ,
Pinguia divino fumant altaria thure,
Victima mactatur, colitur quâ Conditor Orbis,
Et solvit pia vota Deo, gratesque rependit.
Ut tamen egregii per tempora longa vigeret,
Æternùmque animis duraret gloria facti,
Protinus Augustus populorum Rector Iberûm
Insignem virtute virum, belloque potentem
Illustrat galeâ, gladioque accingit equestri.
Cidius hic Rodericus erat Bivarius, alto
Sanguine progenitus, Maurorum terror, & armis
Qui veterum superat famam, redditque minorem.
At dùm tranquillâ Ferrandus membra quiete
Irrigat, atque levat curarum pondera somno,
Olli sese offert Mondæ viridantis imago,
Et grato sermone loquens sic talia fatur.
Gloria Christiadûm, decus immortale tuorum,
Quem modo victorem timuit Maurusia turba,
Te latet armipotens, quâ te, Ferrande, coronâ,
Illa Virûm quæ facta canit, ter maxima cingit.

Sat fuerat quod clara hoſtes Collimbria fædos
Te duce contereret, raptisque expelleret arvis:
Sed maior tibi fama venit, non longa timebis
Secula, nec poterit tua geſta abolere vetuſtas:
Maior eris, ſemperque vago celebraberis Orbe,
Eveniant quando quæ nunc ex ordine dicam.
Barbarico quæ cernis adhuc ſpumantia tecta
Sanguine, & invisi ſolventia vincula Mauri,
Luſiacæ ditionis erunt pars maxima, ſeptem
Regum erit auguſtis felix Collimbria cunis.
Gloria magna quidem natalia plaudere Regum,
Sed tumuli maiora dabunt præconia ſacri,
Condita cùm fuerint operosâ mole Minorum
Corpora, quos Mauri diademate cinxit Olympo
Et furor, & rabies, Chriſto dùm dona rependunt,
Et documenta novæ laudant dulciſſima legis.
Non tamen in Libyco dudum tumulata jacebunt
Pulvere, nam Petrus Regum celſiſſima proles
Ingenti redimet pretio, tantisque ſuperbus
Exuviis faciet ſacratâ condier urnâ.
Illa etiam Reges concordi fœdere jungens,
Illa ferens belli ſedato turbine pacem,
Quo vernare roſas hyberno tempore coget,
Occulat ut nummos, inopi quos provida ſervat:
Illa erit Auguſto quæ jam viduata marito
Deponat regale peplum, mox ſedula tendet
Jacobi ut viſat quò ſunt mortalia Templum
Pignora, magnificis cumulans altaria donis.

Hæc

Hæc erit Elisabeth Lysiæ Regina, sepulchro
Huc veniet tumulanda sacro, miranda patrabit
Virgineis comitata choris, nec dira cadaver
Exanimum solvet tabes, mirabile visu!
Sancius, Alphonsus, gnatus, genitorque potentes,
Hîc ambo condentur humo, celebranda per Orbem
Garrula Diva feret facundo murmure facta.
Attentas mihi præbe aures, Ferrande, videbis
Viribus invictum Alphonsum, pietate vigentem,
Debellantem Arabes, Lysioque superba prementem
Colla jugo; maiora loquar, fortissimus Heros
Imperium condet, quo non augustius ullum,
Solis ab occasu nam regnum extendet ad ortum,
Gestaque Romulidûm famâ superabit, & armis.
Maxima nunc referam, Christi morientis imago
Aligerum stipata choro, radiisque coruscans
Ut beet Alphonsum, superâ descendet ab arce.
Membra Redemptoris Ligno cùm fixa cruento
Viderit Alphonsus, curvato corpore supplex
Numen adorabit, promptumque in vota vocabit.
Audiet Æternus miseratus verba precantis,
Imperium sine fine dabit, plagisque minantem
Præcipiet decorare sacris nova prælia parmam.
Cùm Lysiæ sublimis honor Dionysius alto
Sederit in solio, populorum clarus amore,
Ardua regnantûm componet jurgia, pacis
Fœdera restituet, sententia justa placebit.
Illius augusto sapientia pectore regnans

Artibus hîc doctis primus Collegia condet.
Ferrandus veniet Lusis dominator in oris,
Reddere qui cupiens illustrem Palladis Aulam
Viribus in veteres coget remeare Penates,
Antiquasque petet sedes Academica rursum.
Tertius at Princeps post secula bina Joannes,
Apta videns placidæ Collimbria rura Minervæ,
Perpetuo mansura loco Collegia figet.
Ergo omnes inter memoranda Academia surget,
Conditor eximio pius hanc cumulabit honore,
Augebit donis regalis turba sequentûm.
Cerne, precor, celebres Lysiæ ditionis Athenas,
Quam doctis fœcunda viris Academia! quantos
Munere doctrinæ vitam deducet in annos!
Illorum, quos pura fides, venerandaque Patrum
Ad cœlum documenta trahunt, Collegia cerne.
Clarum etiam videas Petri sub nomine Cœtum,
Nulli, vel studiis, morum aut probitate secundum.
Corporis egregii, cujus fama occupat Orbem,
Paulus erunt, Petrusque duo virtute lacerti,
Dexter erit Paulus, lævus tibi, Petre, paratur:
Hoc Romana probant firmata diplomata plumbo.
Nunc audire licet multo maiora canentem.
Parte petit quà celsa Poli Collimbria dives,
Quàque patent oculis vernantia prata, tumentes
Et Mondæ declivis aquæ, Capitolia surgent
Palladis, impensis magni fundata Joannis,
Sollicitoque Orbis Paulo sacrata Magistro.

Mens

Mens erit Augusti facundæ Principis urbis
Insigni, nitidâque caput redimire coronâ.
Non alio quærenda solo, cœlo indita Paulo.
Raptus in æthercam, quæ mundus despicit, Aulam,
Rerum arcana videt nullâ promenda loquellâ;
Hinc sacros haurit latices, hîc flumina potat,
Pinguia queis ditat divini semina verbi.
Claviger ille Poli, summo qui dignus honore
Solvere vincta potest, verboque soluta ligare,
Accepit Pauli documenta loquentis ab ore.
Instruxit Proceres Paulus, quos æquora primò
Dura fatigabant, laxataque retia ponto;
Postea sed ratibus, Christo suadente, relictis,
Elegit socios fraterno more laborum,
Rectoresque dedit populis, ut sacra docerent,
Imbuerentque novæ divino dogmate legis.
Angelicos nunc cerne choros, Paulique videbis
Agmina Cœlicolûm pendentia ab ore docentis.
Ethnicus ipse sacro Christi disjunctus ovili
Divino haud dubitat Paulum præferre Platoni.
Conjice qualis erat magni sapientia Pauli?
Votum erit idcirco prudens sapientibus ædes
Condere, quas decoret præclara scientia Pauli.
Optimus ergo domum Rex construct ille Joannes,
Consimilem pietate Numæ quem jure vocabunt:
Quæ doctis habitata viris maiora per Orbem
Laudibus extollet Regis monumenta beatis.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine portæ

 Dignam

Dignam operi imponet Regale insigne coronam;
Ut probet egregii fundamina Regia Cœtûs.
Sed si nosse cupis, sit quanta sodalibus erga
Paulum relligio, Conventûs cerne sigillum.
Scilicet est ensis, diro qui vulnere collum
Cædit Apostolicum, rutilans supereminet astrum:
Lemma notat Pauli ferventes pectore flammas:
PRO CHRISTO potuisse MORI LUCRUM omne putavi.
Læta dies veniet multos sperata per annos,
Quâ præclarus Avi persolvet vota Sebastus.
Hæc erit illa dies Maii memoranda secunda,
Quingentos cùm mille novos confecerit Orbes,
Tres, binos triginta vagus Titanicus ardor.
Atria nunc videas opus est, nunc aspice, quantis
Cœtus imaginibus Paulinus floreat almus.
Primus erit primi Rectoris munere clarus
Arius, (1) antiquæ gentis splendore coruscans
Sylviæ, ab augusto quæ ducit nomen Iulo.
Tanta est egregio virtus in pectore, Pauli
Ut simul, & Cœtus, celebrisque Academia legum
Audiat à Sylva veneranda Oracula magno.
Inspice, quanta Virûm jam præmia digna sequantur.
Præsul erit veteris Durius quam concitus urbis
Fluctisonis fæcundat aquis, & vitibus ornat.
Dùm tamen implêrit Pastoris munia justi,
Solicitusque gregem documentis paverit æquis;
Æquora sulcabit juvenis sinuosa Sebastus,
Quem rapit incerti sublimis gloria Martis.

Instrui-

Instruitur classis, legitur generosa juventus,
Duraque Lusiadæ Proceres in bella parantur.
Turgida jam Nautæ placido dant carbasa vento,
Ostia jamque Tagi cita deserit aurea classis,
Cùm subitò gemuit Neptunus pondere tanto
Territus, & Sceptro timuit spoliarier udo.
Interea puppes Zephyro spirante secundo
Contendunt petere, & Libyæ vertentur ad oras;
Anchora fundabit classem, mox agmina Lusûm
Invadent Maurorum acies ductore Sebasto.
Optatos fines, fataliaque arva licebit
Visere, sed palmam Superûm secreta negabunt.
O' quanti occumbent alieno in pulvere! quantis
Sors erit horribilis vitam servare Sebasto
Infausti casûs animam mœrore trahente!
Arius occumbet, socius qui à Rege vocatus
Pro patriâ pugnans facta exæquabit avorum.
Mucroni baculus, galeæ sacra infula cedet,
Bellica dumque vigil recipi tormenta laborat,
Occumbit morti Libycis tumulandus arenis.
Ille Dias (2) sequitur, qui nomine projicit ignem,
Subtilem Scoti subtilia dogmata reddent.
En Alphonsus (3) adest clarâ de stirpe creatus,
Præsulum & ornatus, decus immortale, corona,
Infula sacra comas cinget Collimbria, pastor
Largus opum, solitusque pios diffundere nimbos.
Tempore devicto famam servabit in ævum.
Quis gazas memorare potest, quas dextera fundet?
Pondera

Ponderave argenti tabulis mandata ſupremis?
Romano dicet cinctus Baronius oſtro,
Eliſabethque choris dicet ſocianda beatis,
Et ſaxis reparanda novis convulſa viarum.
Machina quæ longum complectitur ardua circum;
Veſtalis quâ pura focos ſervabit, & ignem
Offeret intacto divino fœdere ſponſo,
Alphonſus referet quantùm ſit prodigus æris.
Munere Proregis Lyſiæ dominabitur alto,
Grandior aſt annis, tardusque ætate ſenili
Ductus amore gregis vanos contemnet honores,
Ut vacuus curis rutilam conſcendat in arcem.
Tempore, (4) quo Lyſium regali munere Sceptrum
Diriget Albertus, ſacri pars clara Senatûs,
En jubet ille potens gentis dominator Iberæ
MOURANUM in partem curarum adhibere peritum,
Poſſit ut afflictis ſocio ſuccurrere rebus
Unanimi, & regni nutantem flectere clavum.
Præſcia MOURANI prudentia nota Philippo
Sic erit Hiſpano regnantûm jure Catoni!
Saxea, quæ ſurgit moles ad ſidera, ligno
Et ſacrata pio, quo vita pependit Ieſu,
Incola cujus erit proles generoſa Joannis,
Proferet æterno pietatis tempore famam.
Nomine tres ſurgent Roderici: primus habebit
Agnomen, quod (5) SOUSA vocant; BRANDANUS (6) at alter,
Ornabit nomen cognomine tertius AYRES; (7)

SOUSA,

Sousa, simul Brandanus erunt doctissima juris
Lumina, queis Lysiâ sapiens radiabit uterque.
Sedulus, at pariter socios imitabitur Ayres,
Et geminæ Sedi, quæ sunt dubitata resolvet,
Altera Ulyssis erit, Sedes Egitanica prima.
Çallemam (8) videas: Academia clara magistrum
Audiet insignem, reserato Codice sensus
Abstrusos capiet; sic nominis alta micabit
Gloria, sic Lysio virtus celebrabitur Orbe;
Ut mandante petat generoso Principe Flumen,
Quod fiet tibi Jane sacri cognomine notum
Mensis, ut assiduos possit componere motus,
Queis Tamoja ferox, simul & gens Gallica Lusos
Perdere tentabit, propriisque expellere tectis.
Impavidus Çallema levi vada salsa carinâ
Trajiciet, cinctosque armis ruet acer in hostes:
Viribus at fractos, vanoque furore tumentes
Funditus evertet, patriasque remittet ad auras.
Proferet illa vetus (9) Castilho Nabantia, Goæ
Aggere qui cinctas arces, simulatque Ciauli
Conscribet, partosque immani ex hoste triumphos.
Archivo Præfectus erit, quod publica servat
Scripta: Britannorum accedet Legatus ad Aulam.
Ille erit Emmanuel (10) Cardim cognomine, magnum
Ars faciet, diros quæ noscit pellere morbos.
Eliget hos clari mens illius alta Sebasti
Docta tui ut ponant Cœtûs fundamina, Paule,
Fundamenta decem semper mansura locabit,

Queis

Queis ſuper æternæ conſurgent Palladis arces.
Ardua perpetuam ſedem hîc Sapientia figet,
Et ſuffulta decem tolletur ad aſtra columnis.
Hoc erit Heroum Lyſiæ venerabile Templum,
Quo vaga ſolicito ſervabit fama labore
Magnorum monumenta Virûm, doctiſſima & ora.
Hîc ubi venturo poſcent oracula juris
Tempore, aperta volent qui noſcere condita legum.
Hîc geminata fluent doctrinæ flumina, tota
Quæis Lyſiæ æternùm gratans perfuſa vireſcet.
Cœtus erit Pauli fulgorum Regia, vaſtum
Luſtrabit radiis latè ſplendentibus Orbem.
Hæc erit arx Pauli telis armata cruentis,
Accenſos rabie deludere poſſit ut hoſtes,
Utque ferant victi, quæ damna inferre parabunt.
Cæſareo, vel jure ſacro nunc cerne peritam
Doctorum turbam, nec non & Apollinis arte.
Quot legum documenta dabit MARALIUS? (11) Ille
Sive Scholâ rutilet, ſeu fulgeat ipſe Senatu,
Omnia complebit Doctoris munia clari.
Aſpice, FONSECAM (12) pugilem modo cerne fidelem,
Quem ſacer è patrio fidei diſcedere tecto
Coget amor, longoque plagas inquirere curſu,
Quas Sol exoriens radiis illuſtrat amicis.
Sedulus ecce Tagi rurſus petet oſtia, munus
Judicis explebit perjuræ gentis, amore
Cujus ab excelſo venit Sapientia Patris,
Quæ tantum infami Libitinâ ſolvit amorem.

Deſeret

Deseret ergo Tagum, quæret mea flumina, sacra
Ut fidei vexilla piæ pandantur in auras;
Rursus Ulysseam vigilans accedet ad urbem;
Non mora, non segnis vestigia tarda movebit,
Rura petet properans celeri Collimbria passu,
Impia ut absumant flammæ delicta reorum.
En alter FONSECA (13) Dei benè tuta sequetur
Castra, gregem pascet, ducetque in pascua mitem.
Lux foret (14) Emmanuel sacrati BORGIUS alma
Juris, at impatiens vitam mors atra tenellam
Demetet, in tenues impellet abire favillas.
Doctus Apollinea surget ROTERICIUS arte
CARDOSUS, (15) quem celsa tui reverentia reddet
Nominis egregium, conscripta volumina notum,
Et celebrem titulus Medicorum Principis altus:
Quem Capitis Viridis decorat sacra Infula, prudens
Hic LEITANUS (16) erit, populos non voce, potenti
Dirigit exemplo, durissima fata subibit
Undecimum cùm Phœbus aget splendoribus Orbem.
Urbis Ulyssææ qui (17) publica commoda curat,
Et studio invigilat, pereant ne tempore mores,
Doctoris Bethlehem gaudebit nomine magni.
Conspice Pæonio florentem dogmate PIRES, (18)
Quem vocat ille pius, pariter doctissimus Heros,
Magna Brigantinæ regalis gloria gentis,
Præsul & antiqui renovator sedulus ævi,
Ut rapidos prompto pellat medicamine morbos.
NOGUEIRAM (19) geminum decorantem cerne Senatum,

Et Portûs, veterisque urbis, quam durus Ulyſſes
Condidit, adſtabit Matriti Regius Aulæ
Conſultor, Patriæ queat ut reparare ruinam,
Conſiliis & ſalva ſuis diſcrimina vitet.
Digna coronabunt NOGUEIRAM præmia clarâ
Et Palatini fungetur ſorte Senatus,
Quo Lupus egregio præſtabit munere BARROS. (20)
FREITAS, (21) & BARROS (22) duplex ANTONIUS; ambo
Intempeſtivo decumbent funeris ictu.
Qui modo ſurgit, erit celebris pietate FIGUEIRA, (23)
Cujus terna volet frontem decorare ſacrata
Infula, ſed ſpreto maior fulgebit honore.
Ductus amore poli fugiet commercia mundi,
Exquiret natale ſolum, quo Templa dicabit
Quina Redemptoris qui ſtigmata corpore portat.
Ille Lupus veniet veteri de gente SOARES, (24)
Munia quanta Virûm commendant magna! Decani
Munere regalis fulgebit & ipſe Sacelli:
Atque Alacris Portus gauderet Præſule tanto,
Si non truncaſſet fragilem mors barbara vitam.
ALVARUS (25) EMMANUEL Viſenſi clarus honore
Sede Decanatûs, fidei defendet Ieſu
Dogmata, & Iſacidas flammâ torquebit edaci.
Quem nunc cernis, erit RODERICUS, (26) nomine docti
Tempore venturo nunquam non laude vigebit.
Hìc opus eſt mœſtas effundere pectore voces;
Cùm ſubit illius vexata Joannis (27) imago
Hic erit excelsâ (tunc VASCONCELLIA dicta)

Gente

Gente satus, priscâ & vernans ex arbore ramus.
Hunc Patriæ cruciabit amor, cùm cernet amatæ
Spes Lysiæ titubare suæ, vexilla sequetur,
Quæ præceps tollet Princeps Antonius; ille
Qui cupiet frustrà parvâ comitante catervâ
Et famam servare Ducis, Regaleque nomen;
Nam veniet Dux ille Albæ, notissimus Heros
Hispani ducens victricia signa Philippi,
Coget & à patriis Lusos excedere terris.
Aufugiet Princeps, fatisque prementibus oras
Quæret, ubi Henricus Gallorum regna gubernat.
Carceris invictus patietur damna Joannes,
Et Fidei documenta dabit ter maxima Lusæ,
Spiritus humanos vitæ dùm rexerit artus.
Conspice MOUSINUM, (28) quem sacra Scientia reddet
Insignem, doctumque colet Collimbria Sedes.
Egregiâ assurget duplex de gente CABEDO: (29) (34)
Primus aget canam primævâ ætate senectam,
Archivi Custos Regalis maximus alter,
Muneribus summis splendescet clarus uterque;
Doctrinæque ambo tradent monumenta futuris.
Munera despiciet meritis non æqua PEREIRA, (30)
Ut tamen est justum mandata facessere Regum,
Quæ renuet, peraget Lysiæ Rectore jubente.
Cæsareo postquam radiarit jure RIBEIRO, (31)
Illi arci Præfectus erit, quæ dicta Redondo.
Ardua quàm doctus Medicinæ dogmata tradet
Incola Lameci BOTELHO (32) agnomine clarus!

En Olivença (33) venit; felix Collimbria tanto
Pignore! Ulyſſipo longè felicior! illo
Nam Regale vides ſocio fulgere Tribunal.
Incipiet rutilare novâ cum luce Jacobus (35)
Pallentes mortis cogetur adire ſub umbras.
Gnarus Apollineâ Azeredius (36) arte micabit,
Quem decorare gradu ſuevit Medicina ſupremo.
Ille gravi ſenio, & diuturno pondere preſſus
Doctus erit Ferreira, (37) rapi quem cerno juventa
Cum primâ incipiet lanugine tingere malas,
Numinis ardenti ſtudio quod præſidet armis.
Ergo paterna vide fugitivum linquere tecta,
Quærereque horrificum juvenili pectore Martem.
Non dabitur fera caſtra ſequi, Bellona Minervæ
Cedet, & inſigni concedet laurea linguæ.
Otia nulla pati, dubias diſſolvere lites
Rara erit egregio, præclaraque Judice virtus.
Ambitio, quæ corda ſolet torquere ſuperbûm,
Neſciet Ignatî generoſum tundere pectus.
Sola repugnantem poterunt mandata Philippi
Flectere, & antiquum penitus ſervare tenorem.
At jam juſta ſenex capiet faſtidia cautus;
Curis tædebit ſeclî conſumere vitam:
Virginis arcta petet ſacratæ Clauſtra Tereſæ,
Sed fruſtrà; Divûm florent ubicunque coronæ.
O' quantos miſerans pietate levabit egenos!
Condiet ipſe dapes, obſonia lauta parabit,
Optima queis poterunt adipiſci præmia cœli.

Illuſtris

Illustris factis superas ascendet ad auras;
Non tamen occumbet, proles pia facta per ævum
Servabit dilecta Patris ter magna Lacerda,
Castalio quæ fonte bibens numerosa fluenta
Incolet excelsi frondosa cacumina Pindi.
En veniet MASCARENHAS Antonius, (38) alto
Sanguine progenitus, cujus maculare querellis
Indignis infida volet gens nomen, at ille
Clarior evadet, veluti post nubila Phœbus.
Ingentem nunc cerne Domum, quæ surgit ad astra,
Divo erit Invalidûm ritè sacrata Parenti,
Sedibus atque illic placidis in morte quiescet.
Quantus erit VELHO! (39) quam nota scientia! munus
Pontificale tamen ceu pondus respuet ingens.
GOUVEAM (40) juvenem cæco mors enecat ictu,
Multa sed exiguo doctrinæ secula promet,
Tempore nam virtus tempus superabit, & annos.
BLASIUS (41) haud poterit facundam acquirere famam,
Nam breviter tumulo mortalia pignora ponet.
Non satis est COSTÆ (42) veteris jam circulus Orbis,
Est alius quærendus, ubi doctissima fundat
Flumina, Brasiliæ vastas petet impiger oras,
Constantis summo Themidis decoratus honore.
Ut sint BARBOSÆ (43) veneranda Oracula juris,
Verba fluent valido dulcis quæ flumine linguæ,
Sufficiet, mentem quod sanguine junctus eodem
Instruat insignis Barbosa agnomine Petrus.
Insula, (44) quam Divi nomen Michaelis adumbrat,
Proferet



Proferet illa virum , quem natum ad munera credes,
Maxima namque volent hominem decorare peritum:
ALVARUS huic nomen ventura in ſecula clarum.
Qui baculo fulget, ſacris & veſtibus, ille
CONSTANTINUS (45) erit, divina Scientia notum
Reddet, digna ſuis meritis quæ præmia? quartus
Pinguia rura reget baculo Braſilica Præſul.
CAROLUS (46) antiqui clariſſima gloria Portûs,
Credet Ulyſſippo, quod docta Academia dicet.
Quem Collippo virum LODOVICUM (47) proferet! alta
Munera percelebrem facient ætate futurâ.
Fama coronabit magnarum nuntia rerum
LEITANUM; (48) vix poſſe parem laudare putabis.
Ut vigeat ſacrata fides ſine crimine GASPAR (49)
Nobile cui nomen, PEREIRA agnomen adornat,
Excubat, & Luſum percurrit ſedulus Orbem.
MACÊDO (50) natale ſolum dabit Ebora, Portus
Nobiliore gradu meritum vulgabit, ad altæ
Mœnia ſeſe ALOIX Scalabis feret ardua, Templi
Præſul erit, quo vera caro velamine panis
Chriſti aderit contecta brevi; miracula longa
Secula firmabunt; conjux nam callida cæco
Rapta dolore furens, quæ non inſana patrabit!
Iſacidûm de gente vaſram mox conſulet amens
Vicinam (conſueta dolis quæ proferet audax!)
Conjugis ut pectus poſſit mollire furentis.
Condere ſancta ſinu jubet ergo pabula, tali
Fomento ſperans medicamina certa parare;

Fœmina

Fœmina perficiet, quæ ſunt promiſſa, miſella.
Sacrilego condet gremio libamina menſæ,
Ultima quâ Chriſtus monumenta reliquit amoris.
Attamen incaſsùm ſacratum abſcondere furtum
Fœmina tentabit, ſecretum flumina pandent
Sanguinis, & felix quæ capſula lumina mittet.
Sic celebranda novo ſunt hæc miracula Templo,
Tempore quæ æterno ſic incorrupta manebunt,
Ut ſincera fides tanto fulcimine vivat.
Incipiet Portu MELLO (51) reſerare peritæ
Condita doctrinæ, ſervat quæ pectore, Portu
At breve labentis diſcrimen finiet ævi.
PETRUS (52) Apollinêa doctiſſimus arte, juventa
Dum viget, interitûs patietur damna ſeveri.
Ille PIMENTA (53) vago meritò celebrabitur Orbe,
Infula nam docto fulgebit vertice Sedis,
Cincta ſalo, ſejuncta ſolo, quæ dicitur Angra,
Sed Paſtoris aget vigilis dùm munera, vitam
Fundet, ovesque gravi linquet mœrore ſepultas.
ALVARUS (54) egregio ſublimis acumine mentis,
Munia poſt obita, & ſtudiis, magnoque labore,
Urbis Ulyſſis erit veteris pars digna Senatûs.
FREIRIUS eſt BENTES (55) medicâ qui notus in arte,
Abdita tentabit ſcrutari Oracula legum,
Exequi at optatum regalia juſſa negabunt.
Doctrinâ quantus! quantus pietate SEBASTUS! (56)
Ille colet Divos, celebrat quos Ebora ſacra:
Docta libris tradet, clarâ modo voce tonabit;

Reji-

Rejiciet meritos demiſſo pectore honores;
Inſula nec Divi Jacobi oblata placebit.
Adveniet Petrus, (57) clarus cognomine BRITO,
Quem rapiet variis diſtractum Pincia curis.
Præſtantem vetulum laudabit Fama FIALHO, (58)
Præſide quo Themidis felicia tempora ſurgent,
Eximiique inſigne manu portabit honoris.
BARRETO (59) duplicem decorabit jure Senatum,
Et tandem ornabit meritis regale Tribunal.
Inclytus en Gabriel CASTRO PEREIRA (60) ſequetur,
Hic propugnabit patriæ regalia jura,
Et Lyſiæ oſtendet ſit quanta potentia Regum.
Cæſareo ſi jure novum quis dixerit aſtrum,
Noſcet ab eximio magnum cognomine CASTRO.
Inſuper Aonidum decus immortale ſororum
Hic erit, & cinget viridanti tempora lauro:
Certabit CASTRO, pariter certabit Homerus,
Alter Ulyſſeæ muros modulabitur Urbis,
Errores, & facta vagi canet alter Ulyſſis.
Certabunt ambo dubio certamine, litem
Dividet intonſus Muſarum Numen Apollo:
Una Corona duas præcinget laurea frontes,
Unaque palma pares faciet diſcumbere Pindo.
PETRUS (61) Apollineo præclarus dogmate, morbos
Tædia concipiens querulos quæ dejicit artis,
Paſcet oves, Sacro Clementis nomine, tutas.
Egregium videas Franciſcum BRITO MENEZES (62)
Rectorem quem Clauſtra colent Academica juſtum.
Tempo-

Tempore quo prudens leges vulgaverit æquas,
Nuntius accedet Romanâ missus ab arce,
Elisabeth Divæ qui dicat honoribus auctam,
Elisabeth Lysias quondam quæ rexit habenas:
Insuper Hispanus tollet suffragia Princeps,
Queis schola deligere assuescet longæva Magistros.
Ingenii documenta dabit quam multa! futurum
Quantùm sit doctus, dicet, LAURENTIUS, (63) ævum.
Cerne duos, queis grata aliis, ingrata videtur
Insula, primus erit generis CORREA (64) vetusti
ARIUS, agnomen tribuet cui fama celêbre,
Insula cùm fuerit Lysio Baarenica ferro
Victa, coronabit victorem nomine Lusum:
Insignis GALVANUS erit BOTELLIUS alter (65)
Insula Materiæ, Divi simul Insula Thomæ,
(Præmia virtutum!) celebratum reddet utrumque;
Pondere sacrato renuet sed uterque gravari.
Qui terno nomen cingit cognomine, (66) tandem
Pro meritis Themidis maiori in Sede quiescet.
Incipiet fulgere novo cum lumine, mortem
Oppetet, & juvenis tendet BERNARDUS ad umbras (67)
LEIVA (68) Lodovicus pietate colendus, & arte
Palladis; eximium reddet sapientia, nomen
Extollet pietas ventura in secula clarum:
Divæ nam puræ primi sine labe parentis
Conceptæ addictâ sacrabit mente Sacellum.
CIDIUS (69) insurget, notum quem munera reddent,
Notaque qui reddet ter maxima munera, magni

D Cæsaris

Cæſaris exiſtet prudens adjutor Iberi,
Conciliisque ſciet patriam reparare ruinam.
Hic erit Heſperiâ memorandus Cidius, ille
Quem tua jam ſigno manus exornavit equeſtri.
Cidius unus erit præſtanti robore Martis,
CIDIUS alter erit doctæ virtute Minervæ.
Munera conſtanti renuet MARALIUS (70) alta
Pectore, caſtra ſequi potiùs divina placebit.
Aſpice quam magnus Lodovicus(71) CASTRO PEREIRA!
Hic frater Gabrielis erit, ſimilemque probabunt
Illa duo ad *Legem* memoranda volumina *Mentis*.
Obſequio natus Patriæ migrabit ad oras
Relligione, fide, & morum pietate remotas;
Fulgentem excelſo Legati munere cernent
Germani, firmat dum regna Joannis avita.
Nomine Legatum bis Gallia amica videbit;
Roma ſemel, ſed tanta Viro, quæ præmia tanto?
Nobilis ille Lupus proles ALMEIDA (72) ſupremâ
Fati ſorte cadet, cùm fervida Balnea quærat,
Amiſſam ut rurſus valeat reparare ſalutem.
Martia poſthabitâ quæret vexilla JOANNES (73)
Pallade, virtutem dicet Montijia pugna,
Hiſpanâ de gente potens quâ Luſus ovabit.
Qui morbos curare truces curabit, (74) acerbo
Flore juventutis Libitinæ concidet ictu.
Ille ſatus claro, Luſoque è ſanguine, dictus
MASCARENUS (75) erit ſobole ditiſſimus alta,
Reſtituetque Duci regna uſurpata Joanni.

Codice

Codice magnus erit ſapiens ASEREDIUS, (76) illum
Maiorem Themidis memorabit utrumque Tribunal.
Quid VALLADARES (77) Atropos rapis impia? fruſtra
Tela vibras; vivum ſervabunt ſcripta per Orbem.
Ad Gallos Lyſiæ CARVALHO (78) Nuntius ibit,
Ut Regum jungat concordi fœdere dextras,
Hiſpanumque premant conjunctis viribus hoſtem.
COUTINHO (79) Comitum ſoboles generoſa Redondo,
Splendida quâ magni venerabitur Aula Philippi
Fatis concedet mortali pondere preſſus.
Ducere non poterit per longa PYRERIA (80) vitam
Tempora, nam juvenis vitalia lumina claudet.
Non ABREUS (81) ita, ſapiens Academica voce
Clauſtra replet, ſcriptiſque novos acquirit honores.
Atque Senatoris peragit tum munera doctus.
SOUSA (82) Vimaranum quem gignet florida tellus
Arte Machaoniâ fiet præclarus, ad omnes
Laude plagas hominem deducet Fama perenni.
Plurima VEIGA (83) dabit docti documenta laboris,
Præſul erit Templi, Mariæ quod proteget umbra,
Doctrinæque Sacræ Bracharenſi in Sede Magiſter.
Incipiet Portu juris SEQUEIRA (84) fluenta
Fundere, ſed Portu (præceps velut unda labaſcunt
Omnia) lethiferis rapietur naufragus undis.
Clarus COSTA (85) venit, cujus proſapia tempus
Neſcit, ab Alphonſi diuturno tempore primi
Ducere cerne genus notum cognomine Lemos.
Arva Hiſpana colet, quæret modo Lyſia regna,

Ut duo Sceptra queant tanto ſplendore beari.
Poſt ſeriem longam, quâ præfulgebit, avorum
Alvarus adveniet, miſſo qui agnomine Lemos
Alta coronabit maiorum ſtemmata COSTA,
Quod vetus agnomen maternâ ab origine ſumet.
Tanta (mihi credas) commendant ſecula COSTA
Nobile cognomen! Ductum à genitore ſacratæ
Virginis in ſummo tumulatæ vertice Sinæ
Creditur; illius, flammis quæ accenſa ſupernis
Dogmata Porphyrium falſa ejurare coegit,
Et divina Sophos docuit documenta peritos.
Spiritus altus aget, præclaroque Alvarus imbre
Sanguinis egregii ſuperabit facta virorum,
Æterno quos fama colit clamore per Orbem.
Regia curabit Leonoræ æraria prudens,
Nuntius Hiſpanam contendet clarus ad Aulam;
Attentus Præfectus erit regalibus armis,
Præpoſiti & Regis fulgebit honore cubili.
Gratus erit Regi, qui limina pandet Eôa,
Unicus & fortis dicetur gnatus amicæ.
Gratia non Regis, ſed virtus attrahet illum:
Perfida non noſcet, vel ſubdola fundere verba:
Veri purus amor rapiet; quæ blanda Regentûm
Demulcere ſolent animos, inhoneſta putabit.
Maximus en Vaſcus celebrato agnomine Gama,
Ille triumphator pelagi, metuendus & ipſi
Æquoris infidi domino, qui Sceptra Tridentis
Aſpera ridebit, facietque immergier alto,

Regia

Regia dona quidem, dignos ſperabit honores;
Rex quibus Emmanuel cumulet miracula dextræ,
Robore quæ valido longinquos deteget Indos.
Alvarus inſiſtet, Regemque monebit, ut acres
Excitet in Luſis animos, quibus ardua poſſint
Exequi, ut Heroum valeant adſcribier albo.
Audiet Emmanuel, COSTÆ documenta ſequetur,
Et Gama optato Comitis gaudebit honore.
Degeneres nequeunt Aquilæ generare columbas,
Nam ſimiles natura ſolet producere gnatos
Patribus; alter adeſt ſimilis poſt funera patris
Alvarus in Gilio: Heroem nunc aſpice: gazæ
Præpoſitus Regis: Germanam Nuntius Aulam;
Romanamque petet; dabit argumenta fidelis
Conſilii, & clarus rebus noſcetur agendis.
At maiora referre placet; velut infima cedant
Quæ modo narravi: Regno Catharina Virago
Regia cùm Luſo dominabitur, ecce probroſus
Paupertate nepos tuus, ò Paciece, rogabit
Gilium, ut afflicto donet pia munera dextrâ.
Gilius horreſcet, ſubitoque rubore modeſta
Lumina demittet; Reginam conſulet, olli
Exponet Lyſio ſit quanta injuria Regno
Sors Ducis egregii miſeri lacrymanda nepotis!
Ille nepos, Regina, viri, Gangetica tellus
Quem velut emiſſum fulmen reveretur Olympo:
Illius Herois, modicâ qui claſſe fatigat
Æquora vaſta plagæ, quam Calecutia ferro

Gens

Gens armata colit: dicent Cochimia regna
Quam parvâ comitante manu, quo robore ſternit
Agmina Maurorum, metuendaque machina dicet,
Quo volat in tenues caſu reſoluta favillas.
Ille avus, Europam cujus clariſſima totam
Fama rapit, factisque viri ſtupefacta Gradivum
In terras veniſſe putat, qui colla ſuperbûm
Sub pedibus depreſſa ſuis turgentia Regum
Vidit, & undoſo merſit ſub pondere claſſes,
Cernit egeſtatis patientem damna nepotem.
Proventus auguſta meo quos dextera gnato
Donavit, cedo, Pacieco cedo libenter,
Suſtineat nam gnatus habet quo nomen Avorum.
Exerat ergo caput celebris nunc Roma, vetuſtos
Heroes repetat, faſtu quos turgida ſervat,
Non dabit illa parem, ſimilem non proferet illi.
Eſt domus Heroum Costa, ſi deficit unus,
Jam ſubit alter; erit Libycis ſpectatus in arvis
Filius, armatas fundet mucrone phalanges,
Edita cùm fortis defendat mœnia Tingis.
Punica belligeri rurſus petit arva Sebaſti
Signa ſequens: non fata valet vitare ſupremam
Quæ Regi, & Regno minitantur dura ruinam.
Rex erit ille ſuis regale ænigma Sebaſtus,
Alter adhuc credet mortalem ducere vitam,
Alter at exangui jam claudi lumina morte.
Heros adveniet generoſus Costa Joannes,
Qui famam excelſo nomenque æquabit Olympo,

Et Comitis primus diademate tempora cinget
Sourani, sed gesta viri quisnam ardua dicet?
Hic Brigantinum raptæ sine cæde Coronæ
Restituet, solioque Ducem observabit avito.
Aspice Montijum, certant haud viribus æquis
Lusus ubi, Hispanusque simul; sed milite fuso
Lysia qui sequitur Regis vexilla Joannis,
Dùm curat præpes spoliare cadavera Iberus,
Integrat insignis certamen COSTA: videbis
Quam fragili filo pendet victoria belli!
Restaurata vide Lysiæ tormenta, ruinas
Efficiat quantas glans ferrea; cerne per agros
Agmina victorum modo victa jacere; petentes
Abdita cerne Duces; fugientes aspice; COSTA
Sanguine perfusum victricia serta coronant.
Sic reliquos inter mirabitur inclyta virtus
Illius, ut fatis jamjam cessurus acerbis
Lusiadûm quartus Rex optimus ille Joannes
Præcipiet, veteres mox ut contendat ad arces,
Quas Tagus auriferis ultrà dilabitur undis,
Nomine ut egregio validos compescat Iberos.
Nec mora; sollicito quamvis transverberet ictu
Corda dolor, Regis subito mandata facesset.
Regia Legatum Gallorum culta videbit,
Et memori gratum servabit amore Joannem.
Solus avum superare nepos potuisset ovantem,
Corporis exuvias ni fato poneret atro
Præventus, verno dùm vitæ flore vigebat.

Ille

Ille erit armatus, proles digniſſima Martis,
Depoſitisque armis erit alter pulcher Adonis.
Quàm comis! Quam largus opum, quas turpis avarus
Aſſervare ſolet tenebroſo carcere; belli
Artibus inſtructus meditabitur ardua; parvi,
Aut nihili ducet, quæ ſunt vulgaria: grandi
Fulgebit virtute Ducis cognomine clari.
Quæ ſenibus tempus, juveni dat munera COSTA
Et labor, & robur, durique ſcientia Martis.
Aſt ego quid memoro lacrymis ploranda profuſis?
Quid refero quæ dira ſolent augere dolorem?
Ætas incipiet cùm ſpes producere firma,
Tu Patriæ tu dulce decus, tu gloria ſecli
Magna tui, factis poteras qui æquare vetuſta
Geſta Virûm, ætatis vernanti tempore mortem
Oppetis, & lacrymis alienâ conderis urnâ.
ALVARUS antiquæ ramuſculus arboris, altam
Progeniem doctæ cumulabit laude Minervæ.
Almadâ ſocio mores revocare priores
Curabit cœtûs, qui Petri nomine gaudet.
Gymnaſia ecce reget prudens Collimbria COSTA,
Juſtitiæ permulta dabit documenta ſeveræ:
Sacrifici Maioris erit decoratus honore,
Viſenſique ſacrâ præcinget tempora vittâ.
Ecce petet Romam doctus PACIECUS, (86) ut illam
Conciliet Lyſiæ, ſocius datus ipſe fidelis
Legato, notum cui Portugallia nomen
Regali de gente dabit; mox jura Joannis

Quà

Quà ſcriptis, quà voce tuebitur optima Quarti.
In patriam, Regemque pium teſtatus amorem
Debilitate pati cogetur vincula preſſus:
Mortalis ſervire Deo nunc diſce; caduca
Gratia ſit Regum quantùm Paciece docebis.
Innocuo ſed juſta ſeni data gloria, mitram
Cinget & Elvenſem, at fato defunctus acerbo eſt.
Pontificem Collipo (87) colet, quem cernis, & altâ
Dignum laude virum, ſimilem vix proferet ætas;
Vel diuturna dabunt venturo ſecula curſu.
Fatidico Petrus dicetur nomine, corde
Immoto poterit duras ſuperare procellas.
Hic erit impavidus legum ſervator, & æqui,
Deſpicietque minas Themidis pellectus amore.
Ibit in exilium patriis expulſus ab oris:
Non jactura domûs, non detrimenta valebunt
Conjugis aut lacrymæ firmum contundere pectus:
Auxilium non voce petet; non pectore quæſtus
Rumpet, opemve Jovis vexatus poſcet Iberi.
Tempora volventur; cedent adverſa ſecundis,
Ceſſabunt fluctus, dubii maris ira quieſcet,
Magnanimusque lares inviſet Petrus amicos.
Interea turbata ruet Reſpublica, pœnas
Cùm dederit meritas ſectâ cervice Lucena:
Illius alta reget munus prudentia Sylvæ,
Cui nomen generoſa dabunt ſua facta Catonis.
At nulli fortuna fidem præſtare perennem,
Ullum vel ſemper felicem reddere novit.

E Mens

Mens erit Auguſto, qui bellica Sceptra potentûm
Temperat Anglorum, Catharinam tradere Luſam
Jure Thori, vigeant ut fœdere fœdera Regum.
Quæſitus reſponſa dabit non grata roganti,
Grata ſibi, prodent animum nam verba fidelem
Et fidei, & Patriæ, quarum flamma imbibet artus.
Solvet at exilio quæ dicet verba VIEIRA,
Exulat, & neſcit Regum Palatia verum.
En iterum Petrum generoſa Virago vocabit,
Nutanti ut valeat monitis ſuccurrere Regno.
Solertis matura dabit prudentia SYLVÆ
Argumenta, quibus Luſorum Regia pace
Floreat, & tumidos deponat læta furores.
Ecce novo Petrus cogetur Principe terras
Rurſus adire alias annorum pondere preſſus.
Inſpice nunc homini qualis prudentia! quanta
Dexteritas ſit rara viro! modo ſcrinia rurſus
Regia compellet Princeps moderarier; illum
Non premet adverſis fallax fortuna, ſecundis
Proſpera vel faciet cautum turgeſcere rebus.
Jam poſitis Bellona ferox ſibi conſulet armis,
Optatum violenta petent certamina finem,
Et veniet tempus, quo Lyſia celſa coronam
Imponat bello, & pactis ſocietur Ibero:
PETRUS erit ſacro qui fœdera nomine firmet
Principis egregii Lyſiam pro fratre regentis.
Confectum ſenio decorabunt præmia longo;
Martia mitratum cernet Collipo, tenello

Quæ

Quæ dabit infanti prima incunabula, verùm
Dura ſenem rapiet breviter Libitina, ſuperbo
Condetur tumulo, quà ſumptibus ipſe profuſis
Sacratæ Antiſtes fundamina conſtruet Ædis,
Incolet Arrabidæ notus quam nomine Cœtus,
Cœlicolæque prius devota mente dicabit,
Urbis qui famam cunis augebit Ulyſſis,
Mœniaque extollet ſacro Patavina ſepulchro.
CAMERA (88) conſpicuus, ſpectatus ſanguine, gentis
Gloria magna ſuæ, ſtudiorum præmia multo
Parta labore tenet; Sedes donabit Ulyſſis.
Ecquis erit, qui ſalſa levi freta navigat alno?
BARRETO eſt VELHO, (89) Pernambucania proles;
Scilicet ut videat quales novus efferat Orbis
Culta Europa viros: quot munera ſolus obibit?
Moribus egregio Rex imperat ergo vetuſtum
Ut regat Aviſii Cœtum; longævus at illud
Reſpuet, indignans truncatum munus honore.
Principiis crebro fines obſtare docebit
Cæſarei juris PINTO FONSECA (90) peritus;
Incipiet nam luce novâ dum fulgere, triſti
Lumina mors ultrix tenebrarum condet amictu:
Sanguine magnorum SYLVERIA (91) reddet avorum
Nomina, ſolicitus fanum reget ipſe Pereira.
FONSECAM (92) video veſtes ornare ſacratas,
Paſtorem nam priſca colet Nabantia fidum.
Illuſtri de gente genus SYLVERIA ducet (93)
Inclytus, atque fidem purgabit ſedulus almam.

A Patria nomen ſumet Cadavalius Heros
ALVARUS ABREUS, (94) noſcetur nomine tanto.
Non modo felicem patriam, ſed Lyſia Regna
Reddet, & egregiâ doctrinæ luce beabit.
Julia Pax quondam faſtis celebrata Latinis,
Gaudebit PORTO (95) cunis quam læta tenellis!
Eximium facient regalis dogmata juris,
Haud minus eximium Themidis ſacra jura ſeveræ.
LIMA (96) perantiquâ ducens ab origine nomen
Pallade poſthabitâ Mavortia caſtra ſequetur.
Aſpera virtutem poterit Montijia pugna
Dicere, nam fuſo validus rigat arva cruore.
Armorum Præfectus erit, quà flumine longo
Et Minius, Duriusque petunt vaſta æquora ponti.
Dùm regit hîc populos, Martis movet arma ferocis,
Oppida multa jacent flammâ populata voraci,
Atque æquata ſolo quæ mœnia ſtruxit Iberus,
Viribus ut cernat non eſſe repagula Luſis.
Præpoſitus Regis Stabulo, ſimul atque Tribunal
Arbitrio reget ille ſuo, quo pinguia prudens
Diriget ignoti quondam commercia mundi.
Civilis quot ſigna dabit manifeſta NORONHA (97)
Juris, adimplebit partes cùm Judicis æqui!
Arte FIGUEIREDO (98) medicinæ pellere morbos
Noſcet; non poterit propriam depellere mortem.
Qui ſequitur Martinus erit (99) cognomine MELLO,
Sanguine præclarus, ſpectatus Palladis arte.
Hunc fidei ſuccendet amor, zelusque docebit

Paciſi-

Pacificas armare manus in damna reorum,
Indocili qui corde negant venisse supernum
Humanæ Verbum velatum tegmine carnis.
Præsule quam justo felix Egitania! quantis
Pauperies inculta pii clamoribus alta
Largitas Pastoris opes ad sidera tollet!
In formam Pauli meliorem fingere Cœtum
Curabit, mandante Petro, cui jura supremum
Imperium inviolata dabunt, at Principis alta
Perficiet solus, qui sit, mandata, sodalis.
Eça (100) genus ducens augusto è sanguine Regum,
Fata quibus tribuent Lusis dominarier oris,
Pontificis munus mirandæ respuet altum.
Adveniet doctus FRAGOSO (101) GUARDA Sebastus,
Quem velut auxilium, columenque Academia magnum
Suspiciet, cùm jura manu firmarit, & ore.
FREIRIUS, & MELLO (102) cognomina quanta! peritâ
Urbis Ulyssææ prudens reget arte Senatum.
Qui sequitur venerandus erit CARNEIRO MORAES, (103)
Doctrinæ pondus dicent Academica scripta;
Munera; juris erit quantùm servator, & æqui,
Quàm pius in superos, urbs dicet Martia Portus.
Palladis exosus Lodoix CAMONIUS (104) artes,
Francisci sacra castra petet, vis aspera morbi
Non dabit optatum rapidi contingere finem.
Gymnasio diuturna foret si vita celébri
Quanta LUDOVICI (105) restabat gloria! vitam
Invida fata diu renuent producere caram.

Intem-

Intempestivo dissectum vulnere planget
Dulciter Aonidum splendor Barbosa, decusque.
Nicoleos PEREIRA (106) petet regna Indica CASTRO,
Ut Themidis solers justum regat ipse Tribunal.
Dùm tamen officio fungetur, Regia Sedes
Indica defuncto vitâ Rectore vacabit,
Illius Imperii gratas tractabit habenas.
Jura fori celebrem reddent DELGADO (107) severa;
Illius & nomen toto celebrabitur Orbe,
Stemmata, vel seriem repetat cùm promptus avorum:
Sint Itali, Hispani, gelidive Aquilonis alumni,
Supplebit celeri transcripta volumina mente.
Cerne novo juvenem appellatum agnomine SALAS (108)
Ardua tradentem juris præcepta videbis.
MELLO PEREIRA (109) reget Rectoris nomine clarus,
Angrensi renuet mitrâ, baculoque potiri.
Quàm pius, & quàm doctus erit MOURANUS, (110) amabit
Multa dare egregiæ pietatis signa, Sacellum
Extruet exiguis (humilis quà Cœtus) in hortis
Maxima quod Mater Teresia nominis umbrâ
Proteget, arte tamen Bussaci rite Sacella
Effingente, queat Fratrum ut pia turba sacratas
Hic offerre preces, quibus illic Numina flectet.
VASIUS en aderit celebrandus OSORIUS (111) ORTA,
Munera si numeres, meritum librare valebis.
Melleus Ambrosius sequitur SEMMEDO (112) TRIGUEIROS,

Cujus

Cujus ab impavido poterant agnomine fata
Vertere terga; cadet Libitinæ messus acutâ
Falce, juventutis stabunt dum robore vires.
Insolitum nunc cerne virum, cognomine SOUSA, (113)
Quem meritis omnes laudabunt vocibus; illum
Aspice muneribus cedentem sponte, loquellas
Quippe audire nequit surdâ intractabilis aure:
Communi gemitu vitales deserat auras.
Nobile MIRANDAM (114) Lysium nunc cerne regentem
Palladium, obstabit breviter mors barbara cœptis.
Ille erit illustris, CERVEIRA (115) agnomine, Doctor,
Justitiæ decreta vigent quo vindice puræ.
Ille senex, decorat quem candida barba, Joannes
Clarus erit VARGAS, (116) famâ celeberrimus, arcto
Justitiæ nunquam deflectet tramite, Christum
Consulet infami pro cunctis morte cadentem,
Judicis arbitrium timidus cùm proferet æqui:
Attamen eximiâ sic paupertate premetur
Ornamenta inter turbæ tot clara togatæ,
Vulgari ut sumptu condantur membra sepulchro.
Paulus adest (nomen facundum) SOUSA REBELLO! (117)
Naturæ de Jure duo doctissima dextra
Proferet in lucem libros, æterna parare
Queis poterit monumenta vagæ super æthera famæ.
Regia servabit, pereant ne temporis irâ,
Bibliotheca, duo veluti miracula juris.
Flumine si videas illum perfundere juris
Desine mirari, THOMAS (118) est, nomen abyssum
Indi-

Indicat, & geminum fas eſt effingere in uno.
Leitanus (119) ſurget rectiſſimus ille Noronha,
Muneribus magnis (quantus ſit conjice) maior.
Qui modo ſurgit, erit Cœtus pars inclyta Pauli
Sousa (120) genus ducens generoſo è ſanguine, natus
Septenum cùm Luna novum confecerit Orbem:
Scilicet impatiens tempus natura ſuetum
Proteret, atque uteri materni vincula ſolvet,
Lumina ut effundat tantum velocius aſtrum.
Auſpicia excipient teneras felicia cunas,
Nam ſacro poſtquam culpam deterſerit Adæ
Flumine, grata parens reddet promiſſa, tenellum
Offeret infantem Ludovico (Aloyſius ille
Regali de gente ſatus, quæ Gallica Regna
Temperat, Antiſtes ſanctiſſimus atque Toloſæ)
Illius à Cœlo precibus pia mater habebit,
Nominis & claro puer irradiabit honore,
Ut ſit par vitæ vitæ memorabile donum.
Dùm tamen ante aras ſiſtetur nobilis infans,
Divi mitra caput pueri circumdabit, alta
Tempore venturo jam tunc ſacra munia monſtrans.
Lapſum crede polo, terris & munere Divûm
Crede datum; humanas ſuperant miracula vires!
Vix dimenſa ruent ætatis tempora primæ,
Illico Souſa dabit memoris veſtigia mentis,
Queis animos reddet pavidos, ſtupefactaque corda,
Quæ leget, æternâ ſervabit mente: libellos
Supplebit mens prompta, ſemel legiſſe juvabit.

Agmina

Agmina verborum longo transcripta labore
Evoluta semel tam menti immota manebunt,
Ordine ut inverso, scripto sive ordine dicat.
Ardua quapropter subiens discrimina lætus,
Securusque sui certabit; victor ubique
Signa feret, placido cinget victricia lauro
Tempora, & immemores reddet quos fama colebat.
Jam maiora referre libet, quæ flore juventæ
Sousa geret, studiis tempus superabit, & annos.
Discipulus responsa dabit, quæ sola magistros
Efficient; quæ docta dabit responsa Magister?
Qui suggestus erit, qui non illustrior illo,
Aurea dum fundet doctrinæ flumina? Cerne
Abdita Durandi reserantem dogmata claro,
Perspicuoque modo: Gabrielem suspice, credent
Aligerum venisse polo: Scotum aspice, Scotus
Alter erit, tantum est argutæ mentis acumen!
Sol erit Angelicus Thomas, Sapientia Solem
Illum sacra colet, radios diffundet, & hostes
Proteret armatos nequicquam in bella ruentes;
Thomam alium sapiens quis te, Ludovice, negabit?
Sol eris alterius dum pandis lumina Solis.
Nesciet auditor quod sit fulgentius astrum,
At gemino credet cœlum splendescere Sole.
Illustri assidet Lombardi in Sede Magistri,
Quâ velut in specula totâ dominabitur Aulâ.
Jure Magistrorum noscetur Sousa Magister;
Quod vetus est, renuet, non semita trita placebit;

Dulcia verba fluent, doctoque docentis ab ore
Non voces, non verba, putes oracula ſolvi.
Non erit apta viro jam clara Academia tanto,
Tempus erit radios alio diffundere, Phœbum
Illuſtrare alias opus eſt fulgoribus oras.
Princeps ergo Petrus Lyſiæ moderator, & alto
Imperio dignus, celebris pietate, minorem
Quem facient centum linguæ, centum oraque famæ
Præſulibus viduata videns ſacra Templa, vetuſto
Pontificem attribuet præclarum Sousa Lameco.
Quas Paſtor curas, quos perferet ille labores?
Vinea vulnificis horreſcet vepribus, hirtis
Plena rubis; caſti ſordeſcent tempore mores.
Hoc munus Paſtoris erit convellere prava,
Aſperaque in planos rurſus convertere calles.
Munera Solis agens luſtrabit cuncta, receſſus
Sepoſitos quæret, quà vel via nulla patebit.
Pauperiem generoſa manus ditabit, & imbre
Aurifero miſerûm fatalia damna levabit,
Inſtruet exemplo pluſquam ſermone, juvabit
Viſere nunc alios, alios non viſere, fructum
Colliget optatum, vigilique in paſcua greſſu
Pinguia ducet oves Paſtoris verba ſequentes.
Aſtra jubar Solis comitantur fulgida; Sousa
Sol erit irradians, ſeptem ſociabitur aſtris,
Laurea quæ viridis, vel quæ diſcriminat alba.
Intereà gens illa gravi cervice rebelle
Et Patriæ, & Fidei conſervans pectus, avorum

Irrita

Irrita vota ſequens, cupiet delere Tribunal,
Crimina quo juſtè plectentur fœda reorum.
Lis erit, immenſos pariet quæ injuſta labores,
Munereque à recto faciet ceſſare Miniſtros.
Sousa erit adverſum caſum qui avertere poſſit,
Et Regno, & Fidei minitantem damna ſuprema.
Sic erit; Auguſtus Lyſias qui flectet habenas,
Magnifico Romam Legati nomine Petrus
Mittet, ut audentes nimium confundat Hebræos.
Ut tamen Auſonio Legatus dignius Orbe
Splendeat, Auguſtæ Præſul cenſebitur urbis;
Urbis Præſul erit, veteri quæ Brachara famâ
Dicitur Auguſta, & totum celebrata per ævum.
Reddidit illuſtrem Romanus, jura vetuſti
Cùm tribuit Latii, maiori at nomine fulget
Delubris cùm prima ſacris dominatur Iberis.
Illius ingreſſum mirabitur inclyta Roma
Viſere feſtivos, & non curare triumphos
Jam ſolita; at tanto Sousæ ſplendore ſtupebit,
Siſtereque errantes faciet vetus Albula fluctus,
Ut videat ſuperata novis antiqua, ſilentûm
Turba magis, quam voce loquens, pompam evehet aſtris.
Hìc ubi prudentum patria eſt, prudentia Sousæ
Clarius emittet radios, conſtantia mentis
Rebus in adverſis firmæ fulgebit, & hoſtes
Gloriæ ad immenſæ currum virtute ligabit.
Gens quondam dilecta Deo, nunc fabula, riſus,
Vilia tentabit, mendacia turpia finget,

Poſſit ut optato tandem gaudere triumpho.
Præſulis ut clari circumdet adorea frontem,
Sufficit agnomen SOUSÆ: cognominis alti
Nuntia commendat Dea grandia facta per Orbem.
Unus erit pro mille aliis Lupus ille ſacratæ
Militiæ Princeps, rexit quam jure Magiſtri:
Ferrandi ſed Regna videns nutantia morte,
Tempora frondosâ cingit victricia lauro.
Hic Lupus ille fuit, cujus Leo torvus Iberus
Ora timet, gelidâque fugit formidine raptus.
Hic fuit Aviſii magno qui Regna Magiſtro
Aſſeruit, Patriæque jugum diſſolvit, avito
Reddidit & Solio, quem Regia jura vocabant.
Hic improviſo capiet generoſus Oronum,
Milite quod multo defendit fortis Iberus.
Haud ſatis eſt animo meditanti maxima, ſomno
Laxatos jugulare Duces: cerne agmina campos
Hiſpanos populare Lupi qui caſtra ſequuntur.
Non ſemel arma Lupo victricia ferre juvabit
Per medios hoſtes, perque arva inimica, ruentis
Fulminis in morem referet quater enſe coronam.
Reddita pax Lyſiæ Superûm eſt pietate ſuavis;
At Souſæ Mavortis adhuc cor ardet amore,
Effetæ quamvis videantur corpore vires,
Occupet & torpor titubantia membra ſenilis,
Spiritus intus alit furibundi ſemina belli,
Namque tubæ ſonitus attentâ percipit aure.
Septa vetus dicet quam ſit Lupus impiger armis,

Cùm

Cùm fera colla dabit primo devicta Joanni.
Æquabit multos prudens Sylveria culto
Præditus ingenio: Sousanæ gentis origo
Hic erit, & stirpem decorabit nomine claro.
Augustas decies Legatus tendet in Aulas,
Sorteque felici tam munera cautus obibit,
Principis ut Lysii famam super æthera tollat.
At tu magnus avum Lodoix imitatus utrumque
Illorum longè superas clarissima facta.
Nam Lupus ille pio Patriæ quæ gessit amore
Dulciter allectus, præstans tua pectore virtus
Edidit impavido, Fidei cùm dogmata veræ
Sacra triumpharunt, suspensaque signa tulerunt.
In te Sylveiræ prudentia rara revixit,
(Attonita oh! quoties testata est inclyta Roma!)
Isacidûm cùm turba ferox renuebat Iesu
Colla Redemptoris submittere ferrea legi;
Cùmque novum impatiens morem obcæcata ferebat,
Tentabatque modos, queis vincula solvere posset;
Victrix causa Diis, clarissime Sousa, placebit,
Et tua Cœlicolæ sanctissima vota beabunt.
Sub pedibus calcata tuis fremet impia turba,
Et Chanaan tibi ludus erit versutia gentis.
Isacidæ quantas texet plebs improba fraudes?
Quantaque componet fallacia crimina turpis?
Sed quæ alios terrere solent, tu despicis, hidras
Comprimis, atque dolos debellas victor inanes.
Ardua Legatus certamina mente revolvet,

Viribus

Viribus opponet vires, mendacia vero
Opprimet, & vigili meditabitur omnia curâ.
Eriget alta fides dubii vexilla triumphi;
Ibit in exitium gens perfida, ſtulta rebellis
Spes cadet Iſacidæ, ſubitoque ferocia coget
Subdere colla jugo lex optima: Paſtor ovilis
Tempora tergeminâ cingit qui ſacra Coronâ,
Et gerit in terris Clementis munia Chriſti,
Innocuus dictus, vitâque, & moribus æquis,
Quem votiva colent fumante altaria thure,
Ipſe ſuo, ut vigeat, firmabit nomine cauſam.
Res erit acta; Diis victoria tanta placebit,
Victorisque feret nomen pia fama per Orbem.
Undique Legatus meritos acquiret honores,
Et Fidei dicetur ovans defenſor avitæ.
In plauſus effuſa ruet gens Luſa, fidelem
Vocibus extollet SOUSAM ſuper aſtra, ſonoro
Clamabit ſtrepitu reſonans campana, micantes
Erumpent ignes, ſonituque per aera crebro
Lætitiæ communis erunt ardentia ſigna.
En tubulos cernes nitrato pulvere fartos
Impulſu ferri rapido, mox ima petentes
Fingere conſpicies tam fulgida ſidera, cœlum
Ut propius credas noſtris accedere terris.
Dum celeri fulgetra volant radiantia curſu,
Aſpice fulgentem denſis funalibus urbem;
Accenſis facibus videas ardere feneſtras,
Pluribus alta domûm flammis ſplendeſcere tecta,

Ignibus

Ignibus alatas turres conscendere Olympum,
Compitaque ignivomo videas circumdata torque.
Mulciberum incensam timeas sævire per urbem,
Sed timor est vanus, placidum dat flamma vaporem,
Accendit fidei, irarum non, impetus ignes.
Fulgebit non rara viri prudentia solum,
Perficient animum virtutes pectore dignæ
Egregio, stabilique Heroum in sede locabunt.
Magnanimus Legatus erit, stupefactaque Roma
Munera spernentem SOUSAM maiora videbit.
Non dubites, sacro renuet decorarier ostro,
Nam pluris faciet famam, quam vestis honorem.
Pontifici quam gratus erit? quam publica mundo
Argumenta dabit, tenerum queis prodet amorem?
Ardua quæ evenient, SOUSÆ proponet, & illum
Consulet, illius sententia docta placebit.
Sed revocare gradum, patriasque accedere ad auras
Tempus erit, SOUSA Romanas deseret arces
Nulli concessis, meritisque favoribus auctus.
Allobrogum Dux clara virum correpta videndi,
(Maxima quam celebrant memoris præconia famæ,)
Et curâ, & studio, faciet divertere ad Aulam.
Latius inspiciet re SOUSAM excedere nomen,
Et cruce donatum pretioso adamante coruscâ,
Permittet tentare viam, patriamque requirens
Præmia adinveniet transacti justa laboris.
At prohibent vigilis Pastoris munera gressum
Sistere, cura gregis stimulis agitabit, & arcto

Nesciet

Nesciet in bivio, quo sese vertere possit.
Principis ad jussum dulci consistet in Aula,
Brachara Pontificem nunc plus Augusta vocabit.
Sed melior pars vincet; oves invisere præstat.
Quâ pompâ excipiendus erit? quæ gaudia? quantam
Lætitiam populus festivo murmure promet?
Ibit in antiqui Præsul Capitolia Templi,
Solvat ut ardentes devoto pectore grates.
Optima Pastoris sunt hæc encomia justi,
Pauperiem largo reparabit flumine nummûm:
Illico munus aget vigilantis Præsulis, acri
Commotus curâ fœdæ contagia labis
Sedulus inquiret, sed morbo pressus acuto
Languescent rapidâ liventia lumina morte.
At languore gravi valido medicamine pulso,
Rursus Ulysseæ petet urbis mænia, prælo
Edere curabit, statuent quæ dogmata Patres.
Raptus amore ovium, generoso à Principe dona
Respuet oblata, & celeri te Brachara gressu
Quæret, ut occumbat fato vicinus acerbo.
Jamque extrema pati cogetur Sousa, benignus
Occidet heu! Pastor; mortalia pondera ponet,
Pauperies lacrimis mæstis plorabit, & orbas
Tanti linquet oves mersas in funere Patris.
Luce triumphali quâ Petrus sanguine cœlum
Et clarus fidei palmis ascenderit altum,
Inclytus astra petet Præsul radiantia Sousa.
Æquum erit æternâ quod sede quiescat uterque,

Nam

Nam Fidei pugiles, qui caſtra tuentur Iesu,
Unica palma decet, ſolum decet una corona.
Occidet hic merito longum ſervandus in ævum,
Seu videas Fidei tradentem dogmata puræ,
Seu videas quâ præco Dei documenta diſertus
Explicat arte, vagas quâ vel dulcedine mentes
Allicit, eloquio quantum ſupereminet omnes.
Rectorem aſpiciet celebrata Academia Moura, (121)
Paſtorem Miranda vetus mirabitur æquum.
Haud erit abſimilis doctus Gouvea Joannes (122)
Gouveæ, quem prima colent Academica Patrem
Fundamenta, pares fient; ſacra dogmata primum
Illuſtrem facient, alium prudentia legum.
Palladis ille potens Asevedius (123) arte ſeverâ
Plurima pervigilis data poſt documenta laboris,
Qui è ſociis Regale regent, Sacrumque Tribunal
Unus erit; ſic damna ſciet vitare peritus,
Tempora quæ poterunt Fidei, Regnoque parare.
Ebora cantorem reverebitur inclyta magnum
Franciscum, (124) juveni mors munera plura negabit.
In Regem qui fœda ſuum delicta patrarint,
Judicis ut peragat fidiſſima munia, Rochum (125)
Eliget Auguſti Lyſiæ fiducia Regis,
Namque ſolent Patres ſimiles producere natos.
Magnus venturo Monteiro tempore, maior
Cùm petet arva pius Regis Collimbria juſſu,
Ut ferat exuvias excelſa in Templa ſacratas
Eliſabeth, ſtudio Quarti fundata Joannis.

Maximus in patriam, fidum cùm prodat amorem
Diffidium dirimens Gallorum dura minantûm
Bella, & luctiferum ſpirantûm in prælia Martem.
Perfida divinum noctu prædabitur Agnum
Dextera, ROCHUS erit, fixum qui corde dolorem
Exprimat, & ſcripto teſtetur pignore mentem.
Æacus en veniet juſtus MEIRELLIUS (126) alter,
Juſtior haud alius, Themidem qui ſervet, & æquum,
Doctior haud alius; vivet poſt fata ſuperſtes,
Et vivum æterno ſervabit nomine fama.
Ille coronatum duplicis diademate juris
Quem cernis, LEITANUS erit (127) RODERICIUS ævo
Antiquo dignus, Cœtûs nova gloria Pauli.
Urbem hic Ulyſſæam decorabit nomine, palmam
Ipſe feret, vel ſcripta legas, vel facta requiras.
Munera quanta volent certatim extollere? cuncta
Abjiciet, nam magna viro meruiſſe juvabit.
Corrigat ut mores, turpesque coerceat uſus
Juſtitiæ, mandante Petro, nova dogmata condet.
Integritas metuenda viri delicta reorum
Plectet, & impavidus ſceleratos comprimet auſus.
Aſſuefacta dolis, avidis aſſueta rapinis
Gens feret impatiens venerandi Judicis ora.
Inſidias tendent, odiumque furentibus armis
Conceptum ſaturare volent, & crimine fœdo
Innocuum cupient vitâ ſpoliare, ſed alto
Ille parens hominum cœlo qui cuncta tuetur,
Irrita ſanguineæ faciet conamina gentis.

Ne

Ne tamen accipiant animis incumbere lucro,
Sed Themidis solo exardescere pectus amore,
Pauperibus tribuet proventus munere dignos.
Aspice, contemnat quantâ virtute Tribunal,
Quod regit illa animum torquent quæ Principis acta?
Scrinia despiciet constanti Regia vultu,
Nec volet Elisabeth docti documenta Magistri
Tradere, quæ Lysii regni spes germinat una.
Infula Brasiliæ Princeps, ter magna Goana,
Aulica, & illa urbis Durius quâ profluit amnis,
Solicito Pastore regi gaudebit, at altè
Secum agitans quam prona trahant mundana ruinam,
Quamque cito in tenues vanescant cuncta favillas,
Numina curabit, non Regum munera, vanas
Ridebit curas, rapiunt quæ in devia mentes.
Sentiet at flammis dum cor ignescere sacris,
Protinus abrumpet laqueos, quos fastus adorat
Infelix, sacrata petens tua Claustra Philippe.
Ille Philippus erit, divinam pectore flammam
Qui teget immensam, longo sed tempore tectam
Impatiens celare diu compage solutâ
Pectoris, ostendet reliquos superasse; minores
Celabunt alii flammas; at corde Philippus
Talia servabit divini incendia amoris,
Illa ut luce Patri, Genitoque coævus, & idem,
Spiritus ille vagos quâ sparsit cœlitus ignes,
Discipulûmque sacris incendit corda favillis,
Ut rogus erumpat, pandat nova limina pectus.

 Hîc

Hîc mortalis adhuc cœleſtem ducere vitam
Incipiet, curis ſecli ſpoliatus acerbis.
Nocte illâ qua celſa Patris Palatia Verbum
Liquit, & in terras velamine carnis amictus
Prodiit, ut veteris purgaret crimen Adami,
Quâ pietate animi, quâ vel dulcedine mentis
Offeret occultum niveo ſub tegmine panis?
Invicto EMMANUEL fruſtra pede proteret Orbem,
Incaſſum pia Clauſtra petet, vexilla ſequetur
Ardua necquiquam, queis bella moventur Averno;
Nam Lyſiæ Princeps Regni moderator ad Aulam
Sæpè reluctantem trahet, invitumque vocabit.
Arbiter unus erit, Patriæque negotia mente
Curabit vigili, & tanto ſplendeſcet honore,
Solus ut imperii cum Principe tractet habenas.
Non tamen illa feret, cœlum meditabitur; omnem
Deſpiciet faſtum, fugiet commercia; mundo
Dicere conſtanti ſtatuet vale corde ſupremum.
Qualia tentabit mens alto tacta dolore!
Principis hinc urgent nolentem Regia juſſa,
Hinc mulcent animum tranquilla ſilentia Clauſtri,
Neſciet ambiguus valeat quo vertere ſeſe.
Turbine dum tanto dubius jactabitur, atras
Excutiet tenebras, rutilum qui temperat axem,
Incertæque dabit clemens medicamina menti.
Balthaſar ille pius toto memorabilis ævo
Urbe vago Durius quâ flumine mœnia cingit,
Ductus amore ſacro, pueris nova tecta locabit,

Impia

Impia queis rapuit dulces Libitina parentes.
Insignem pietate virum mox consulet; ille
Bartholomæus erit secli Quentalius Heros
Maximus ipse sui; simili virtute Philippum
Efficiet Nerium Lysiis qui effulgere terris.
Suggestûs hic fulmen erit, Paulum audiet ille
Cum delicta hominum rigidus reprehenderit, ipsum
Spiritus intus aget venturi promere casûs
Tempora, & arcani penetralia noscere cordis.
Balthasar exposcet socios, queis tradere possit
Quæ justâ fundata manu, jam longa senectus,
Et morbis corrupta salus dimittere cogunt.
Annuet optatis Quentalius, ibit in oras,
Quas Durius fæcundat aquis Leitanus, & arcta
Vincula dissolvet fatalibus apta ruinis;
Macte igitur virtute! Polus tua vota secundat:
Aulica monstra fugis; mendacia vana relinquis:
Quæ cupiunt alii, tu despicis, inde triumphi
Eximius tibi surget honos, nomenque perenne.
Adveniet tandem exoptata ad littora Portûs,
Pronus adorabit terram, ceu gurgite vasto
Jactatus ventis cara oscula figit arenâ:
Non secus Emmanuel victâ fugitivus ab Aulâ
Curabit meritas pro tanto munere grates
Solvere, & æterna retinebit mente favorem,
Haud vigilans olli puerorum cura placebit,
Dedecet illa senem multo maiora parantem.
Ergo locum, quo prima domûs fundamina ponat,
Quæ-

Quæret , at inveniet nullum , qui commoda præſtet.
Dùm variis agitata modis mens æſtuat , ecce
In ſacra tecta , Deo greſſus afflante , feretur ;
Inſcius intrabit , gratus myſteria noſcet ,
Cùm videat Nerium decorantem altare Philippum,
Augurium felix præſagia proſpera pandet.
Illic celſa domûs tentabit mœnia condi ,
Sed veteres renuêre locum concedere , priſcus
Uſus fert ſpatium cuicumque negare petenti.
Sic erit ; aſt hoſpes fortunâ fretus amicâ
Non aliis conceſſa , ſibi conceſſa videbit.
Creſcet opus , molesque petet vaga ſidera ; tandem
Fulgebit jucunda dies , quâ Virgo beato
Sacra puerperio ſperat reparare ruinas
Orbis , & afflictis optatam ferre ſalutem.
Plures luce illâ votivo compede vincti
Addicent pia corda Deo : mox Præſul & ipſe
Fatidico referens veluti prænuntius ore
Tempore , quæ facient , venturo dicet , ut alti
Ignibus erga hominem populos inflammet amoris.
In plauſus effuſa tuos teſtabitur urbis
Conſiliis directa tuis gens utraque Numen
Arcadiæ verum terras habitare ; probroſa
Jurgia componet , dirimet certamina longa ,
Dulcia quæ ſolvunt tranquillæ fœdera pacis.
At ſegetem inficiet rabidi Cacodæmonis ira ,
Furtivâque manu ſparget zizania : fluctus
Quos video volvi , tempeſtatemque frementem ?

Aſpice

Aspice temporibus succedere tempora: Præsul
Ecce alius veniet, succedet Sousa Lacerdæ.
Insurgent lites, pacis quæ suavia rumpent
Vincula, & irarum facient consurgere motus.
Hìc doctus Leitanus aget sua munera, pacis
Inter oves, sacrumque caput, quod celsa decorat
Infula, curabit renovatæ inducere signa.
Antistes sed mente tenax, rigidusque negabit
Cedere Leitano, socio vel fœdere dextras
Jungere, vel tumidas componere pectoris iras.
Rex tamen ille Petrus non re, sed sorte Secundus
Optima Leitani perpendens facta, coronam
Ob cives capiti servatos ponet, & altâ
Mente dabit grates, meritumque ad sidera tollet.
Occidet interea fato submersa furenti
Inclyta Lusiadûm dominatrix illa Maria,
Quam Domus armipotens Nemorosia proferet Orbi,
Sola cui superest Lusi spes unica Regni
Elisabeth, pulchræ soboles pulcherrima Matris,
Sceptra queat tractare manu quæ regia avorum.
Haud poterit Regale Petri lenire dolorem
Cor, namque ardenti promet suspiria voce.
Respuet impatiens rursus consortia lecti,
Solemni renuet sponsam sibi jungere tædâ,
Nam dolor immenso penetrabit vulnere pectus.
Non illum Proceres, poterunt non flectere fletus,
Votave conceptam facient deponere mentem.
Regia tota gemet, gemet alto pressa dolore

Lysia;

Lyſia, cùm videat vacuum ſine Principe Regnum.
Qui cives ſervare ſciet, ſervabit & Aulam,
Atque caput gemino cinget venerabile ſerto.
Ecce viam arripiet, rurſus Palatia quæret,
Allaturus opem Regno mærore ſepulto.
Regem ergo inviſet meditantem triſtia, dulci
Incipiet ſermone loqui; mox bella cruenta
Oſtendet, Caſtella quibus tremefacta quieſcit,
Juraque reſcindit gladio minitante vetuſta.
Proficit at nihilum tantarum gloria rerum,
Effuſusque cruor, partæve ex hoſte coronæ,
Si renuat Princeps genialia vincla ſubire.
Quanta homini virtus, quanta & facundia linguæ!
Dicet, & optato dabitur gaudere triumpho.
Quis laudes celebrare tuas Leitane valebit?
Quis poterit dignas unquam tibi reddere grates?
Omnibus æquivales! cunctos tu ſolus adæquas;
Sed quo verba fero? mea quo præconia tendunt?
Unus eris, ſimilemque tibi ventura negabunt
Tempora, nam reliquos ſuperas virtute; fidelis
Petrus erit teſtis, plaudens quoque Lyſia teſtis,
Conſiliis florere tuis dum cernat avorum
Auguſtam ſeriem, quos clara Brigantia cœlo
Evehet, atque Ducum merito celebrabit honore.
Res erit ad finem caſu deducta ſecundo,
Et ſubito ſacra tecta petet, procumbet ad aras
Suppliciter pendens demiſſo pectore grates.
Excipient quantis redeuntem plauſibus omnes?

Lætitiæ

Lætitiæ quot ſigna dabunt? qui mœſtus euntem
Viderit, effuſo remeantem corde videbit.
Rurſus ad antiquæ ſe vertet munia vitæ,
Et maiora dabit flammæ morientis ad inſtar
Lumina, virtutum maior ſplendeſcet imago.
Exilium Patriæ pondus quàm immane putabit!
Oh! quantum ſordeſcet humus! quàm clara placebunt
Sidera! quàm rutilans rapiet te Regia cœli!
Audiet omnipotens ardentia vota rogantis,
Confectum ſenio, multoque labore labantem,
Opprimet extenuans diuturno Iſchuria curſu.
Non gemitus, non crebra polum ſuſpiria flectent,
Nec lacrymæ poterunt extremum avertere caſum.
Stat ſua cuique dies, fatalis terminus inſtat
Omnibus; effugiet nullus fera ſpicula mortis.
Occidet heu tandem! mortalia vincula ſolvet,
Illaque vita cadet perituro haud tempore digna.
Confuſis urbs tota gemet clamoribus; illinc
Communem occubuiſſe Patrem clamabit egeſtas,
Hinc vitæ integritas ſacro diademate cinget.
Ploratu condetur humo, lacrymæque fluentes
Inclyta virtutis merito præconia dicent.
At quamvis mors cæca virum proſternat acerbo
Vulnere, ſpirabit per ſecula longa ſuperſtes.
Regia jura novo defendet tramite, reddet
Inconcuſſa, hoſtes urgebit pondere legum,
Et patulâ RAMOS nudatos fronde relinquet.
Qui tanti monumenta viri verſaverit, illum

H Huma-

Humanas ſuperare ſciet, tranſcendere metas.
Mellea verba fluent, Latio ſermone loquatur,
Vel patrio libros ſcribat ſermone peritos.
Hic erit EMMANUEL: Felix ô Lyſia! poſſes
Si parilem proferre virum! Tua gloria maior
Surgeret à cunis ad buſta rubentia Solis.
Ut tamen attonitas reſonet tua fama per oras,
Objice LEITANUM, ſoli vix ſufficit Orbis.
COSTIUS EMMANUEL (128) ille eſt ALMEIDA, Magiſtrum
Egregium doctæ reverebitur Aula Minervæ,
Rectoriſque vices ſupplentem, & munera cernet.
Aſpice JOSEPHUM cognomine SOUSA PEREIRA (129)
Pontificum Præſul Ludovicus primus Iberûm
Quem leget, ut ſervet Legati ſcrinia cautè.
Rurſus ad antiquos remeabit SOUSA Penates;
Dexteritas at tanta virum, prudentia tanta
Sic notum reddet, celebrem ſic reddet, ut arces
Romanas iterùm jubeat conſcendere Petrus:
Ductus honore magis, quæſtu quàm raptus, adire
Nonniſi contemnet Legati nomine Romam.
MELCHIOR ille DIAS, (130) Petri doctiſſima proles,
Quam cito decedet fato defunctus acerbo!
Proferet inſignis tam docta VIEIRA (131) Senator
Arbitria, ut penitùs natura labore fatiſcat
Obruta noctivago, ſubeatque pericula mortis.
Doctus, & urbanus conſurget PAULUS, (132) amabunt
Noſcere queis dabitur, famam qui haud nôrit, amabit.
Audiet orantem conſeſſus regius, alti

Cùm

Cùm fuerit ſolii juratus nomine regni
Braſiliæ Princeps Lyſii ſucceſſor, & heres.
Sylva Pereira [133] reget Paſtor velut inclytus urbem
Elbenſem, Mitrâ, baculoque inſignis, & inde
Farenſem, quam celſa caput venerantur opima
Regna, quibus poſitum vetus eſt Algarbia nomen.
Scrinia quam promptâ tractabit regia mente!
Africa quem gignet, fuerit dum Lyſia Tingis,
Sousa [134] erit, inſignem reddet prudentia, magnum
Anglia, cùm Luſus Londinum Nuntius ibit.
Flectere non poterunt mortalia pectora fata,
Et juvenis quæret triſtes Castillius umbras. [135]
Extera regna petet, pereat ne crimine falſo,
Adveniet profugus Salmantica rura Farinha. [136]
Hic ignotus erit, fiet ſed notus, aperta
Monſtrarit doctus cùm ſæpe oracula juris.
Qui ſequitur, præclarus erit Roterigius, [137] olli
Non dabitur ſimilis ventura ætate Magiſter,
Condita ſeu legum ſapiens myſteria pandat,
Seu veteris Latii gnarus monumenta revolvat.
Qui referet Correa cavam cognomine Vallem, [138]
Cæſareæ Legis ſurget nemoroſus Olympus.
Fundere non poterit legum vaga flumina Freitas, [139]
Fati namque brevi rapido jugulabitur enſe.
Nuntius accedet Romam Fonseca, [140] diſertus
Eloquio, Latiæque potens ſermone loquellæ
Barcellos cunis, tumulo decorabit at urbem.
Quem cernis Cathedrâ juris documenta docentem,

Pendenti grato dicentis ab ore catervâ,
Ille erit ANDRADA, [141] Paulini gloria Cœtûs,
Qui celebrem ignotam natali reddet Amonde:
Occupet Ausonium dignus qui & jure Senatum.
Nesciet auditor, quo sit præstantior; illum
Jus faciet Paulum, Ciceronem lingua tonantem.
Aurea quanta daret GARRIDO [142] lumina! morbi
Tempore sed longo truncum violentia reddet.
Cernis ut antiquæ sileant præconia famæ,
Cum doctâ implerit SARDINIA [143] voce Senatum?
Illius arbitrio Respublica tota regetur,
Illius & meritum Diplomata regia dicent.
PINTO erit, aspicias, ROTERIGIUS ille JOANNES, [144]
Quo doctore forent Academica claustra peritæ,
Si non obstaret mors invida, Palladis arces.
Præstantes proferre viros parva opida cerne:
ALVARUS en veniet TEIXEIRA [145] ANTONIUS, illum
Præclarum excipient Academica tecta Magistrum,
Celsa Senatorem Regis Palatia justum,
Judicem & alta fides, ut vivat pura, severum.
Legibus insignis Doctor BRANDANUS [146] eodem
Decedet Portu, quo lumina spargere docta
Incipiet, caræ defecto stamine vitæ.
Ille decus Patriæ (parvo constabit agello)
FRANCISCUS [147] juris sinuosa fluenta sacrati
Fundet, sed languor quæ sunt jam cæpta negabit
Persequi, & enervem cogetur ducere vitam.
Maximus Oroni Cantor FARINHA [148] juventâ

Dum

Dum floret tenerâ, feralibus occubat umbris.
Aspice conspicuo firmantem sanguine caram
Obsequium in Patriam, & Serpæ quassata tegentem
Mœnia, clarus erit JOSEPH cognomine MELLO. (149)
Adveniet RIBEIRO, (150) vetus FONSECA coronat
Agnomen, vigilis fulgebit honore Magistri;
Præmia ut accipiat tanto collecta labore,
Dum Patriam inviset, patriis tumulabitur arvis.
Pontificem Miranda colet CARVALHO (151) benignum,
Candida quem merito juvenem doctrina coronat.
Instruet hic populos facundus præco, disertâ
Mente trahet, cùm vera sacræ det dogmata legis.
Pristina Pontificum, quà vita, & more reducet
Secula, soliciti Pastoris munus adimplens.
Qui sequitur, Rectoris erit FARINHA (152) coruscus
Munere; Parca brevî tanto spoliabit honore.
Proferet eximium LOPES (153) vetus Ebora natum,
Quem præclara diu cupidis Academia votis
Ut columen, legumque decus quam mœsta vocabit!
Martis qui primum CAPRALIS (154) castra sequetur,
Inscribetque dein nomen memorabile chartis,
Papisios Pastoris erit contentus honore.
Magnus ALEXANDER (155) regnum defendet avitum
Austriadûm, at vario mutantur tempora cursu!
Brasiliæ Princeps thalamo sibi jungere natam
Cùm volet Augusti, Hispanum qui temperat Orbem,
Fœdera firmabit Tubuccûm Marchio, præstans
Legatus Lysiæ, quo non illustrior alter.

Ibit

Ibit Alexander ſecreto fidus, & arte
Palladis inſtructus: quantus ſit, noſcet Ibera
Gens, Luſa & noſcet dubio gens grata triumpho.
En GIRALDUS adeſt COUTINHO PIRERIUS, [156] illum
Laurea civilis, ſacrati & juris honeſtat.
En duplici celebrata Viri ſapientia tanti
Fulgere viſa loco; nunc jura forentia tractat;
Pontificum reſponſa modo veracia monſtrat.
Cernis ALEXANDRUM, [157] quem primâ ſacra juventâ
Laurea condecorat? Quos Maranhonius amnis
Irrigat, ipſe reget Mavortia caſtra ſequutus.
Urbis Ulyſſeæ BERNARDUS [158] gloria, juris
Hic vivus theſaurus erit; ſociare camenis
Jura ſciet, Latio, patriove canentibus ore.
Hic deſiderium immaturâ morte relinquet
Omnibus, at vivet volitantis munere famæ.
Quanta ÇALLEMA foret [159] ſacrati gloria juris,
Si non fila brevî mors rumperet improba vitæ?
Maiorem celebrat virtus quem bellica campum,
Quà feret inſignes Hiſpano ex hoſte triumphos,
CARDOSO [160] natale ſolum præbebit, acutâ
Cæſarei juris præſcribet dogmata mente.
Horriſonos referet tonitrus qui nomine Vicus,
Ipſe erit ALMEIDÆ FRANCISCI grata CAYADO [161]
Patria; læta choros nato tumefacta perito
Ducet, & emeritum fœſſa jam ætate videbit.
Hic LUDOVICUS erit VAZIUS COLLIMBRIA, [162] præſtat
Sedis Ulyſſeæ munus præferre Minervæ.

Dexteri-

Dexteritas ſuperat vires, non funeris iras,
Intempeſtivâ correptus morte jacebit.
Ecce novo adveniet MATTOS (163) ex orbe, vetuſta
Deſpiciet doctus, nova promere ſemper amabit.
Sic clarum ingenii novitati junget acumen,
Braſiliam ditaſſe putes ut flumine Mondam
Aurifero, & gazis Collimbria prata beaſſe.
Æquora qui findens flatu petit impiger arces
Romuleas, LEITANUS erit, (164) quem deſtinat arte
Palladis, & Martis Fontanus Marchio clarus,
Pectore ut aſſervet conſulta arcana fideli.
Purpureo hinc veniet ſacrati indutus amictu
Delûbri, quæ digna viris ſunt præmia doctis.
Ille ANDRADA REGO! (165) celebrem facundia reddet,
Orantem audierit doctus cùm Cœtus odoris
Floribus eloquii contexet ſerta, corollæ
Vertice quæ digno fulgebunt! aurea juris
Ore fluenta cadent; reſono ſimul ore tonabit,
Numinis alta pius tradat cùm dogmata juſti.
Conſpice qualis erit prudens ARAUJO REBELLO, (166)
Regia quem ſubito extollunt ad munera juſſa?
Quem metet impatiens rapido Libitina furore
Juſta Senatoris peragit dum munia Portu,
Fortis ALEXANDRI (167) gaudebit nominis umbra,
Inclytus ille armis; præſtans hic Pallade doctâ.
En FRANCISCUS adeſt, (168) cui maxima SYLVIA geſta
Agnomen ſpondet, dignumque ad ſingula reddit.
MOURA (169) decoratus Canonum diademate ſacrûm
Haud


Haud poterit vaftæ radios diffundere mentis,
Membris nam captus funeftâ morte quiefcet:
Ebora docta quidem fiet doctiffima GAMA, (170)
GAMA Magiftrali cum fit veneratus honore.
Tempore, quo PIRES furget MOURANUS, (171) amænos
Doctrinæ latices Collimbria celfa videbit
Cefareæ effluere inftituentis ab ore Magiftri.
Argumenta volet nodofa refolvere juris,
Judicium non ferre volet, vel promere chartis.
A CRUCE FRANCISCUS (172) Minii decor optimus; ille,
Ille erit interpres legum doctiffimus, aureo
Cujus ab ore fluent lectiffima flumina juris,
Concio cuique parem concordi voce negabit.
ARIUS adveniet THOMAS cognomine CASTRO (173)
Pofthabitis ftudiis focialia jura fubibit.
EMMANUEL aderit COUTINHO SYLVA TAVARES, (174)
Inclyta quem veteris reddent agnomina famæ,
Dogmatis ipfe facri, quo Chrifti jura tuentur
Pontifices, & facta gregis fub lege fidelis
Relligiofa regunt, vivens Academia vero
Nomine dicetur. Princeps modo confpice magne:
Ille tuo veniet regali nomine clarus
FERRANDUS (175) quem magna fenem prudentia reddet,
Cùm vix ornarit primâ lanugine vultum.
Audiet à teneris referantem Academia legum
Abdita; quantus erit, fuerit cùm firmior ætas?
MARTINUS (176) fecli curas vitabit inanes.
Præmia docta fuos Pallas quibus innuba cingit

Defpi-

Despiciet, Seraphimque petet pia claustra ferentis
Quina Redemptoris mortali vulnera carne,
Numini ut æterno queat otia sancta dicare.
MOURA (177) peritorum fugiet vigil agmina, quæret
Papisios, ubi Pastor oves in pascua ducet.
Moribus auratum renovat qui mitibus ævum,
Et veteri fulget TEIXEIRÆ agnomine, (178) dulces
Proferet ore favos, cùm prompserit ore loquellas.
Legibus ille DIAS (179) sacris lucem afferet almam:
Hic faciet radiare novo Decreta nitore
Pontificum: faciet vox jugiter illa RIBEIRO,
Profluat ut largo sapientia flumine sacra.
Quam cito clara petet juvenis DIONYSIUS astra!
Mæstos oh! quantum socios mors atra relinquet,
Raptum cùm videant FERRANUM (180) flore juventæ!
Par doctrina foret probitati, longa darentur
Tempora si vitæ: præstabit scandere cœlum,
Ponere & exuvias, ubi luminis hauriet auras.
Ecce venit MACEDO notâ de gente SOARES: (181)
Tanta coronabunt FRANCISCI agnomina nomen!
Ardua sic celebrem reddet prudentia juris,
Franciscum ut videas pandentem sacra Soares
Dogmata; Franciscum videas in vertice Pindi
Regnantem Macedo, fiet qui Lusus Apollo.
ALVARUS (182) en aderit populi victoria Lusi
Maxima BRANDANUS; sunt hæc quæ nomen adumbrat
NICOLAE tuum; juris victoria plausu
Cunctorum donata sacri tua tempora cinget.

Aſpicis? Ecquis erit triplici qui fronde coronat
Tempora? Romanum credas ſermone MOREIRAM,(183)
Qui Latii antiquas leges, ſacrasque revolvat,
Juſtitiamque Foro Jurisque, Deique ſacerdos
Explicet in rectum: properanti flumine notus
Hic eris EMMANUEL, Phœbo gratiſſime SOUSA,
Ut decores urbem, profugus quam condit Ulyſſes,
Atque Scholis reddas Sophiam, queis ipſe triumphos
Victor aget, doctosque dabit Rex altus honores,
Auguror, & merita impellunt, nec fata repugnant.
Nomine CHRISTOPHORUS (184) ſurget Titania proles,
Ingenium magno contendet nomine magnum:
Nomen ab ingenio ſuperabitur. Aſpice tollat
Laudibus ALMEIDAM quantis Academicus Orbis?
Qui viget, & floret vernanti ætate, PEGADO (185)
Ille JOSEPHUS erit; quantus ſit conjice, nomen
Incrementa ſonat, ſonat incrementa Joſephus.
Omine felici qui NONIUS (186) ille vocatur,
Menſuram tanti cumulabit nominis altam,
Implebitque ſui famâ, quà terra patebit.
Quod ſeges eſt Latiis, Luſorum voce SEARA (187)
Dicitur, oh! quantam CARDOSO ANTONIUS albo
Colliget adſcriptus laudum, quod nomine Paulus
Illuſtrare ſuo dignabitur, ardua legum
Cùm faciet decreta viâ procedere planâ.
Prodigiis memoranda viget pars illa potentis
Luſiadùm regni, Scalabis, quæ proxima cœlo
Sidera dinumerat, cujus Tagus aureus undis
Littora

Littora perfundit; ſublimi rurſus ad aſtra
Vertice conſurget, cunabula dulcia quando
Franciſco [188] dederit, (cognomen quale!) Pereira.
Altera venturo miracula proferet ævo,
Audiat orantem cùm doƈta Academia, legum
Abdita ſacrarum referantem Oracla Magiſtrum.







CONVICTORES.



Ltera, quæ ſequitur, pars eſt Collegia Pauli
Nobilitans claro generis ſplendore vetuſti.
Hæc erit illius notiſſima gloria, nomen
Paulinum extollent, totus quà circuit Orbis.
Nunc viſu Ferrande legas, depoſco, nepotes,
Sanguine quos decoras, decorant qui munera, Martis

Sive

Sive ſequantur opus, vigeant ſeu Palladis arte.
Aſpice Luſiadum Palatia Sacra, videbis
Paulinis habitata viris; quæ munia Reges
Regali dant celſa manu, Paulinia proles
Obtinet, illa genus memorabile quærit avorum.
Tavora (1) præclaro Regum de ſanguine natus,
Quod genus eſt Arabis memorabile ſtrage cruenti,
Incolet à tenerâ Salmantica prata juventâ,
Inſtruat ingenuam cùm ſacra ſcientia mentem.
Tempore quo Lyſiæ populos ditione tenebit
Albertus, quem Roma ſuo circumdabit oſtro,
Pauperis ille pio potietur honore juvandi
Maximo, & illa vetus (celebrata cadavere puro
Virginis Irenæ, fulvis quod condit arenis
Rex Tagus undoſus) quondam Nabantia dicta,
Præſule gaudebit non re, ſed nomine tantùm.
Sedem cerne ſacram, Portus quæ dicitur, urbis, (2)
Illius egregio fulgebit honore Decani,
Brachara Præpoſitum Barroſo Cunha videbit,
Qui Fidei coget ſervari dogmata puræ.
Alvarus illuſtri veniet cognomine Sousa,
Quem Miranda colet Paſtorem celſa fidelem, (3)
Magnificâ conſtructa manu domus ampla loquetur.
Maurorum cùm turba ferox tumulaverit arvis
Luſiaci Lybicis temeraria facta Sebaſti,
Henricus Rex ille hominum, Summique Sacerdos
Numinis, ætatis longævæ pondere preſſus
Ibit ut Imperii ſolemni tractet habenas

More,

More, alios inter comitabitur ALVARUS, illum
Lætitiæ non signa vagæ manifesta sequentur,
Non plausus, non verba sonum reddentia lætum
Mulcebunt aures Regis prænuntia vitæ.
In lacrymas plebs tota ruet miseranda fideles,
Coget amor fletu Patriæ pia solvere justa.
Antiqui generis soboles en CASTRIUS ALBI, (4)
Quem video mortis tenebris involvier atris.
Tempora post aliquot ROTERICI nobilis ille, (5)
Qui Convictor erit, fiet Collega, JOANNES.
Illecebras, quas mundus amat, superabit inanes,
Franciscique premet vestigia sacra SOARES. (6)
LIMA (7) perillustri veniet de stemmate clarus,
Velum è suggesto moderanti regna reducet
Hesperiæ, & magno faciet se munere notum.
Quæ celebrata colit sacrata scientia Numen,
Instruet ALPHONSUM, (8) SALDANHA agnomine, secli
Illectus curis socialia jura subibit.
En FERRANDUS adest celebris MARTINIUS Heros, (9)
Illustri teneras ducens ab origine cunas:
Sancta coronabit juvenem doctrina, Magistrum
Eximium reddent rationum pondera, quamvis
Viribus effetis frigescant corpore sensus.
Munus cerne modo cauti Rectoris agentem,
Cerne gubernantem facundæ Palladis arces,
Ornat queis Lusum felix Collimbria regnum.
At cupiens magni prudentia rara Philippi
Præstantem decorare virum, mandata sequentur
Regia,

Regia, quæ dignam declarant Principe mentem.
Infula Ferrandi veneranda Algarbica cinget
Tempora: virtutum ſplendeſcent lumina quanta!
Solicito quam Paſtor oves curabit amore!
Intereà metuenda lues graſſabitur atra,
Falce metet populos precox Libitina feroci;
Ipſe pater fugiet natos, natique parentes
Effugient, non pura fides, ubi certa pericla:
Proh dolor! heu miſeris deerunt ſolatia blanda,
Et dare vix poterit ſolamen amicus amico,
Nam vitæ moribunda latens trahet aura venenum.
Pro grege non renuet vitam profundere Paſtor
Optimus, ardenti ſtudio vigilabit, ad omnes
Partes ſe volvet, parvi contagia pendens,
Quippe amor impatiens vitæ diſpendia temnet.
Dùm tamen horrifico bacchatur Parca furore,
Ecce aliud ſurget tenuato corpore monſtrum,
Hoc miſeri dixere famem: laſſata fatiſcet
Pauperies, & vana trahet ſuſpiria mærens;
Languida clamorem poterit nec tollere lingua,
Vitaque deficiens mortales deſeret artus.
Audiet ille pius populi lamenta gementis
Præſul, & ærumnis præcordia ſentiet angi,
Infixum lacrymis teſtantia corde dolorem.
Providus at Paſtor granaria pinguia pandet,
Et cunctis frumenta dabit; non commoda quæret
Turpia; nummorum rapiet non dira cupido,
Namque ſalus miſerûm merces eſt Præſule digna.

Incendet

Incendet prædo Farensem nauticus urbem,
Diripietque domos, cultos populabitur agros,
Et fera sævitiæ passim monumenta relinquet.
Solâ damna fugâ populo vitare cruenta
Fas erit, antiquas cogetur vulgus inerme
Linquere prædonum subitâ formidine sedes.
Hoc iter arripiet spoliatus Præsul, amabit
Pro grege fata sequi, mortemque subire minacem.
Bibliotheca, domûs & relligiosa supellex
Sacrilegâ direpta manu, direpta furore.
Altera Presbyterûm sacrâ comitante coronâ
Tecta petet, lacrymis mitigans lamenta suorum,
Ecce oculis species sese offeret obvia civis,
Paupertas quem summa premit, quem turpis egestas
Indignum reddit lacero velamine nudum.
Præsulis ante pedes gemebundo flebilis ore
Quæret opem, quâ membra queat nudata tueri.
Viscera Ferrandi torquebunt verba precantis.
Quid faciet pauper? miserum demittet inanem?
Ast ubi regnat amor, peragit miracla voluntas:
Pauper erit; pietas multo mage prodet egenum,
Nam subito inveniet civi quod donet egenti.
Talia Pontifices discant documenta tenaces,
Ut donata inopi cœlo pia dextra reponat.
Littora Mamoræ linquens ardentia classis,
Hispani quâ colla volent Maurusia vinclis
Stringere, vel fluctus fœdo vitiare cruore,
Turbine ventorum, sævisque agitata procellis

Appellet Farum, portuque quiescet amico.
Inclyta Ferrandi pietatis signa micabunt,
Ultima defunctis præbebit jura sepulchri,
Infirmisque dabit largâ medicamina dextrâ.
Confractas reparare rates curabit Iberus,
Magnifici Pastoris erit persolvere sumptus,
Lautaque sollicitis præbere cibaria nautis.
Audiet Hesperius Ferrandi facta Philippus;
Regales animos generoso in pectore credet,
Regiaque emeritas celebrabit epistola grates.
Nunc videas Ferrande rogo, Rex optime, quanto
Pastor oves studio, quanto defendat amore.
Impia Maurorum soboles, gens aspera bello,
Marmora falsa legens Algarbica littora quæret,
Opprimat ut duris miserorum colla catenis.
Non dabitur lacrymis tanto medicina dolori,
Anxia nec poterunt suspiria tollere prædam;
Longam ergo navem cernis sulcare profunda
Æquora, constructam Ferrandi sumptibus, illa
Littora purgabit Mauris prædonibus, oras
Servabit tutas Lybico terrore fugato:
Martius ardor aget fortissima pectora, belli
Fervida despiciet funesta pericla juventus:
Vela dabit spirante Noto, maria alta secabit;
Infestique premet violenta incommoda fati.
Qui modo bellipotens visu terrebat, & armis;
Subdit colla jugo mutatâ sorte superba,
Et prædatrices arcebunt vincula palmas.

Illam

Illam quam spectas tangentem sidera molem,
Incolet Ignati proles doctissima, doctos
Discipulos, pariterque pios formabit, amantis
Impensæ Pastoris erunt, quem fama perenni
Laude coronabit totum pennata per Orbem.
Vertice mitrato qui regna Algarbica rexit,
Judicis eximio fulgebit honore supremi,
Ut sacrata fides tuto potiatur asylo.
Inconcussa dabit servandæ dogmata legis,
Atque cavenda piæ quamplura volumina menti
Indice signabit, ne mens errore vacillet.
Non illum fastus, non gloria punget inanis;
Cerne recusantem Collimbrica jura sacrata,
Urbis & antiquæ, cui mœnia vallat Ulysses;
Displicet ambitio terrestria calce terenti.
Corporis exuvias ponet FERRANDUS, abibit
Ad superos felix meritorum pondere clarus.
SOUSA (10) decoratum fas est insignibus almi
Cernere Conventûs, quem Pauli Numen obumbrat,
At MASCARENHAS (11) senio jam fractus anhelo
Præmia percipiet virtutum sede beatâ.
Concedet fatis juvenili ætate MENEZES. (12)
Aspice FRANCISCUM augusto de sanguine Regum, (13)
Quem Domus alta vago BRIGANTIA proferet Orbi.
Munera multa viro cupient decorarier, illum
Romanâ qui sceptra Dei moderatur in Arce
Illustrem faciet Patriarchæ nomine magno,
Ut Lysiis populis, pariterque ut præsit Eois,

Attamen effectum fortiri fata negabunt.
Si famulos videas, arctiffima clauftra videbis,
Otia nulla vigent, virtutum exempla patebunt:
Curabunt alii tabulis effingere, dulcis.
Mulcebunt animos alii modulamine vocis,
Sermonisque alii difcent arcana Latini,
Mancipia & refonis chordis abjecta vacabunt.
Undique docta viros, celebres quos fama Magiftros
Prædicat, argenti venâ locuplete vocabit.
Quâ patet Orbis, aves effufo colliget auro,
Quadrupedes quæret, variat quos forma, colorque.
Hic ubi naturæ difcrimina pulchra videntur,
Afpiciet quicunque volet, fublime theatrum,
Quo rerum fœcunda parens induftria laudat.
Nobilis adveniet Gallus, quem grata videndi
Cura trahet, vifo lætabitur agmine, dona
Inclyta multa dabit FRANCISCI dextera clari.
Gallica regna petet, pandet data munera Regi;
Facta coronabunt merito quem bellica Magnum.
Audiet Henricus, ftatuetque rependere grates,
Et fimul augufti certum dare pignus amoris.
Principis excipiet gratus monumenta benigni,
Munera digna viro, condigna & Principe mittet.
Quæ poterit pietas pietatem æquare facratam
Illius? argento diftinctum cerne facellum,
Intertexta auro decorat quod lauta fupellex.
Moribus ingenuum dicet pia fama; tabellas,
Quæ retegunt oculis obfcæna cupidinis arma,
Afferet

Afferet expofitas lethalem inducere noxam;
Edita multorum doctiffima fcripta probabunt.
Debilis, invalidus, longis vexatus & annis
Deferet Hifpanam membris languentibus Aulam.
Quos mea refpergunt uberrima flumina campos
Utraque, quæret, ubi melior medicina paratur.
Haud tamen amiffam fperans reparare falutem,
Atque rigere videns tremefactos corporis artus
Æolidis petet alta fenex jam mœnia, fato
Proximus, infigni Rochi tumulabitur Æde.
Sol quibus exoritur, petet æquora CASTRIUS ALBI; (14)
Opprimet invicti reverentia nominis hoftes,
Infenfos quos terra feret Malabarica Lufis.
Arte etiam quandoque facrâ miracula florent,
Unum erit egregius, toto & mirandus in Orbe
ANDREAS, ALMADA vetus cognomen habebit. (15)
Confpiciet Cathedras Academia docta regentem,
Audebitque viro nemo fe opponere tanto.
Quæ loca terrarum, cœli fpeculatur & aftra
ANDREAM reddet celebrata fcientia notum:
Credere non dubites, dicet gens Belgica, dicet.
Integritas ALMADA Petri venerabile coget
Conventum mores iterùm fervare vetuftos.
Ergo cum vitâ fuerit defunctus, amatum
Ditabit Cœtum librorum copia, fumptu
Quæfita eximio, magnoque parata labore.
Quantus honor veniet, laus quanta, & gloria quanta
Inclyta Paulini portare infignia Cœtus!

Altus

Altus honos Patriæ, juris qui oracula reddet
Inſignis Barboſa Petrus virtutibus optans (16)
Præmia digna ſuis, ſupplex orabit Iberum
Principem, ut agnatum tanto diſtinguat honore.
Nunc Rodericus (17) adeſt magnorum ſplendor avorum,
Vaſconia illuſtres celebris quos proferet Orbi.
Tempore ſceptra regat cùm Princeps ille Sebaſtus,
Imperium Lybicis Luſum qui condet arenis,
Mortalis veniet peritura ad limina vitæ.
Æquum erit, ut cunis blandus puer ille quieſcat,
Maxima cum Lyſii delenda eſt gloria regni,
Cumque premenda jugis alieni eſt Principis, illo
Nam duce, Luſiadæ nativo Principe ſurgent.
Doctrinâ quantâ, quantâ probitate vigebit!
Ætatem ratio, prudentia vincet & annos.
Cerne malignorum ſcrutantem turpia facta
Principis Heſperiæ juſſu: res ardua! diris
Plena odiis, quæ certa parant diſcrimina vitæ:
Attamen intrepidus ſcelerata piacula quæret,
Crimine ne præceps pereat Reſpublica tanto;
Bis peraget duodena citus Titanius ardor
Signa; bis ancipiti conſurget vertice Janus,
Perficiet cùm juſſa ſagax regalia Judex.
Interea Regi referet ſcrutata, favillas
In tenues ſolvi dicet pius arbiter acta,
Horrida ne videant ſperatam crimina lucem.
Judicis Auguſto ſententia lata placebit,

Murmu-

Murmura component arcana ſilentia fœda.
Tanta erit in vigili ſolertia Judice mentis!
Tanta erit in docilis clementia pectore Regis!
At mirata Virùm prudentia regia tantum,
Præmia digna dabit, dabit infula candida Portus,
Quem dicent Alacrem, decoris primordia ſacri.
Incipiet præbere ſuæ, quâ paſcet ovile,
Argumenta, decent Paſtorem qualia, curæ.
Flumine pauperibus pretioſo vincula ſolvet,
Queis afflicta gemit, premitur queis triſtis egeſtas.
Prodiga theſauros fundet ſic dextera, Numen
Ut credas auri numeros augere fugacis.
Moribus infectis medicamen verba ſalubre
Exemplo ſociata ferent; non turgidus auram
Captabit vanam, curabit cælica ſolùm.
Ara ſedet Templi quo Præſul maxima, longo
Tempore fatalem minitans quaſſata ruinam,
Dædaleæ ſtudio docto reparabitur artis.
Infula, quam Durius properantibus abluit undis,
Quæ veteris faſtu turgeſcit originis urbis,
Gaudia concipiet Roderico Præſule læta.
Linquet oves alto merſas mærore, recurvo
Et lituo, & mitrâ fulgentem Brachara cernet.
Brachara Romano quondam benè cognita jure,
Et partis celebrata ferâ de gente triumphis,
Lætitiæ monumenta dabit fauſtiſſima, duplex
Teſtis erit plauſus venturâ ætate volumen.
Sacrorum ritus, Divumque illuſtria facta

Tempo-

Tempore ab immemori celebrat quos Brachara ſanĉta,
In formam deduĉta novam recitanda recudet.
Ipſe ſacræ Sedis defendet jura, vetuſti
Gloria Primatûs firmo fundamine ſurget.
Sedes illa Fidem tenuit quæ prima fideles
Heſperiæ populos inter; quæ prima Magiſtri
A Cruce pendentis firmavit pura cruore
Dogmata, cerne Petrum, jugulat quem barbara dextra:
Ut veluti Petrus Romanis fulget in oris
Primus, ſic primo jaĉtet ſe Brachara Petro.
Illa triumphali Sedes madefaĉta virorum
Sanguine, quos rabies occidit cæca Tyrannûm;
Inviĉta ut peterent viĉtores æthera lauro:
Illa ubi Pontificum veneranda cadavera cultu
Perpetuo tumulata jacent, nunc clara tropheo
Arripiet dubiam RODERICO vindice palmam.
Urbs tamen illa potens, rapido quam flumine cingit
Aurifer ille Tagus, tanto ſub Præſule gaudens
Aurea conſpiciet renovari ſecula mundo.
Conſiliis ſervata ſuis Reſpublica damna
Effugiet, quæ certa parant ſurgentia bella.
Utque timenda queat vitare pericla Virago
Margaris, auguſto prognata è ſanguine Regum;
Nomine quæ Hiſpani Luſæ dominabitur Aulæ,
Imperii partem ſocius RODERICUS habebit.
Non dabitur ſed pace frui, quam Paſtor amabit,
Omnia labuntur: nequeunt mortalia ſemper
Uno ſtare loco, celeres ſimulantia fluĉtus.

Reſpice

Respice Lusiadum firmatum robore regnum
Eximio, maius Romana potentia nunquam
Vidit; ab occasu protendet Solis ad ortum
Imperium; curvis premet æquora salsa carinis,
Quæ mundo latuere diu; Tagus ostia pandet
Aurea, ut excipiat pretiosi munera Gangis.
Aspice tot Lysiæ Reges, quot Marte potentes
Heroas, qui dura petunt discrimina belli,
Temporaque impavidi victrici fronde coronant.
Alphonsos videas Maurorum in bella ruentes,
Et strage immensa violento tradita letho
Corpora conspicies; spumans fluit unda cruore
Hostili turbata; cavis atque ossibus arva
Albescunt, famæ memoranda insignia partæ.
Aspice Scipiadas belli virtute Joannem,
Alphonsumque, pio quos Numen concremat igne,
Alter Quintus erit, Primus sed nominis alter.
Septa cadit valido quamvis circumdata muro,
Aut Arabum munita manu; victoria claudit
Ostia, quæ Hispanæ quondam patuere ruinæ,
Cùm soboles violata patrem traducere Maurûm
Armatas acies in publica damna coegit:
Alter terrebit claro sic nomine Tingim,
Ut sine cæde jugum subeat servile cruentâ.
Emmanuel surget regni successor, & heres,
Ad solium quem digna vocat regalis origo.
Hic erit ille, novum veteri qui detegat Orbem,
Opprimat & tumidum numerosis classibus æquor,

Abdita clauſtra maris victor reſerabit Eoi,
Primaque luſtrabit teneri cunabula Solis.
En rapido curſu volat Albuquercius: oras
Quâ virtute legit, fluvius quas abluit Indus?
Haud ſemel alta jacet ferro ſuperata minaci
Goa ſuperba, rudis ſedes antiqua Sabai:
Divitis audaci reſecat caput enſe Malâcæ,
Illius atque armis Ormuſia mœnia cedunt.
Almeidam videas, cæſâ qui prole dolorem
Conceptum mitigare volens, freta claſſe pererrat.
Claſſis adeſt inimica, rates in prælia ducit
Impiger, & prompto dubiam regit ordine pugnam.
Aures obtundit reſono Baliſta fragore,
Excæcant oculos tenebroſi nubila fumi,
Æthera confuſis clamoribus undique complent,
Undique certatur, cæſus cadit undique miles.
Aſt Almeida ferox vultu metuendus, & enſe
Optans luce illâ ſpumoſa fluenta cruoris
Fundere barbarici, nullo ſatiabitur, undas
Sanguine purpureas meditans Orientis ad aras
Vindictæ totum cupiet potare cruorem.
Pars perit undoſo demergens corpora ponto,
Sulphureâ pars ima petit quaſſata ruinâ:
Claſſis tranſtra ruunt, puppes, retinacula, proræ:
Pars volat in cineres flammâ conſumpta voraci;
Aufugiunt cogente metu, qui bella recuſant,
Et timidi referunt lacrymandi nuntia caſûs.
Dum ſpoliis victor famâque Almeida triumphat,
Attoni-

Attonitæque silet similis Maurusia turba:
Ecce abit Emmanuel, regali jure Joannes
Tertius accedit, regiones aspice rursus,
Quas Sol exoriens radiis illustrat amicis.
Non fert impatiens Lusos gens Maura, rebelle
Corde odium simulans durum parat impia bellum.
Ergo belligero fremit India tota tumultu,
Exitiumque Dio, quà ferro, quà igne minatur.
Barbara primus agit Mahamudius agmina, Princeps
Cambayæ qui regna tenet, qui pectore priscum
Vulnus alit, Lusoque putat sanare cruore.
Maurica castra locat tristem minitantia cladem
Dux equitum, peditumque vafer Sofarius, ille
Turpiter acceptam legem qui ejurat Iesu.
Obsessis jam nulla salus, necis imminet horror:
Aspera bruma furit, sonat æthere dira procella,
Naufraga cymba perit furibundo concita vento,
Optatamque negat stationem navibus æquor.
Deficit auxilium, sola est in pectore virtus.
Cinctum cerne Dium, pressumque hostilibus armis;
Quin subeat præsens tanto medicina periclo.
Arma movet Maurus, Lusus movet arma vicissim;
Terra tremit sonitu, densis gemit ictibus æther.
Ignitis truculenta volat mors glandibus, atras
Inducit tenebras nitratus pulvis, & arcem
Distingunt rapido Balistæ lumine crebræ.
Mœnia concutiunt Mavortia fulmina, cedunt,
Et disjuncta loco minitantur saxa ruinam.

Sedulus oppugnat Dux propugnacula, pugna
Fervet ubique ferox, Lusi dejecta tuentur
Mœnia confecti, maioraque viribus audent.
Jam nimio defessa jacet natura labore,
Jam periit ferro sociûm pars magna cruento:
Munimenta ruunt ictu labefacta frequenti:
Hostibus ipsa fames urget crudelior hostis,
Aggereque esuries sic viva cadavera cinctos
Reddit, ut in vanum tentent se opponere Mauris.
Dum tamen extremo Lusi discrimine vitam
Dogmate pro sacro, patriâque effundere curant,
Ecce maris domitor generosus Castrius, urbem
Indica quâ prudens, & justus regna gubernat,
Deserit, obsessis laturus classe salutem.
Prospicit: ast oculis saxorum incondita moles
Sese offert miseranda piis; Prætoria littus
Jam tenet, & reliquæ fundantur dente tenaci.
In Mauros juvat ire feros, juvat ire per arcis
Ostia, quæ Prætor crepitantibus urere flammis
Imperat intrepidus, coquat ut jentacula miles.
Armatas nunc cerne acies procedere longo
Ordine, Lusiadum nunc aspice signa volare,
A Cruce quæ decorat Christi pendentis imago.
Vix tuba terribilem sonitum dedit ære recurvo,
Astra ferit clamor, resonant tormenta fragore
Bellica fulmineo; pugnatur cominus ense:
Hic cadit, ille fugit, tentat certamina fortis,
Vimque inferre parat, sed frustra, fortior alter
Irruit,

Irruit, & ferro spirantia viscera figit.
Agmina jam cedunt Mauri numerosa potentis,
Maxima jam claro plaudit victoria Luso,
Armaque victores horrentia ponere curant.
Concitus at cæcâ Dux Rumecanius irâ
In nova desperans fugitivos prælia cogit.
Rursus ad arma volat, præceps furor arma ministrat,
Ut spoliet Lusum palmæ sublimis honore.
Castrius at noscens renovata pericula belli,
Ne mora segnitiem pertendat parvula lentam;
Fertur in adversos clypeo protectus, & ense:
Ac veluti torrens undarum pondere labens
Obvia quæque rapit; sic Castrius ille phalanges
Demetit hostiles, vanoque furore tumentes
Sternit humi: non pelta juvat lunata, feroces
Deponunt animos, atque arma minacia quondam
Abjiciunt, Lusis renovent ne crimina visa,
Seu potiùs dare terga queant velocibus alis.
Ingemit ille; alius confossus vulnere vitam
Deserit; ipse suo submersus sanguine Maurus
Dux jacet, & tristem respirant omnia scenam.
Horruit, expavit tanto tremefacta triumpho
India; conticuit penitùs gens barbara; terror
Occupat ignavus, quos Mars incenderat ante.
Ergo petit rursus Goanæ Castrius urbis
Mœnia; sed tanti pereat ne fama laboris,
Cerne triumphantem Romano more, videbis
Millia captivûm manibus post terga revinctis,

Pluri-

Plurima ſigna ſolum verrentia conſpice, palmam
Et dextram, & frontem decorantem ſuſpice, parti
Inclyta quæ ſignant celebris monumenta triumphi.
Altius haud poterat ſe attollere gloria Luſi
Imperii; ſed meta venit fatalis; adibit
Marte ferox, & mente pius Rex ille Sebaſtus;
Arida rura colit quæ gens Garamantica nuda.
Undique Luna premet Mauruſia denſa cohortes
Luſiadûm, quantis certabunt viribus! Omen
Nec fugere adverſum, nec vincere fata valebunt.
Pars captiva gemet, ferro pars cæſa cruento
Pro Patria, pro Rege fidem præſtabit avitam.
Regna ſenex capiet Princeps Henricus, at ille
Longævâ jam ætate gravis, moderamine tardus
Occidet, & Sceptrum dubiâ ſub lite relinquet.
Cautus at armorum pugnabit jure Philippus:
Afflictum invadet vacuum ſine milite regnum.
Debilibus fruſtrà oppônet ſe Antonius armis,
Quæ Dux ille reget famâ notiſſimus Albæ.
Aufugiet victus; Gallorum territus Aulam
Quæret, ut infauſtam poſſit reparare ruinam.
Tertius Auguſtâ regnabit ſede Philippus,
Qui ſolium quarto legabit morte Philippo,
Ut videat mala parta ſuâ procumbere mole.
En volet Hiſpanus Princeps ſpoliare decoro
Luſiadûm regnum titulo, qui Regibus æquat.
Ergo vocat Proceres: quàm prompti juſſa capeſſunt!
Hos inter Rodericus adeſt; ſed præſtat amorem

Solici-

Solicitum in cives Ostro præponere sacro.
Munera despiciet, Patriam curabit, acerbo
Cui furor, & rabies minitatur vulnere præceps.
Tempus erit revocare gradum, remeare penates
Rursus ad antiquos, etenim viduata parente
Paupertas oppressa gemit; volat ecce per auras
Præsulis adventus, celer undique currit egestas,
Ut patrem excipiat, foliis viridantibus ibit
Obviam, & à Templo miseros quos Matris, & almæ
Virginis umbra fovet, sacrata ad tecta reducet.
Consiliis agitata novis ruet inclyta regni
Gloria Lysiaci; violentis opprimet ausis
Et Proceres, populumque simul male sana cupido
Nescia venturi, quæ pectora torquet Ibera.
Illa fides Lusi, quâ Reges pronus adorat,
Jam tantis vexata malis, oppressa fatiscet.
Quæ poterit damnis optatum afferre levamen,
Sola erit à Regum ducens Brigantia stirpem
Sanguine clara Domus, rapiet cui Sceptra Philippus;
Regia cuique dabunt Lysiæ diademata leges.
Ut tamen eventu felici vota triumphent,
Consilii RODERICUS erit pars optima, prudens
Diriget ipse viam, quâ Lysia mæsta resurgat,
Germinaque antiquæ sobolis renovata virescant.
Hispano fatalis erit lux prima Decembris,
Excutiet quâ Lusa jugum gens, aspera solvet
Vincula, lamentis succedent grata, Joannem
Restituet solio detruso jure Philippo.

Ut

Ut meritas ſolvet tanto pro munere grates,
Et reddat promiſſa Deo, RODERICUS ab Æde
Egreditur ſacrâ, populi plaudente coronâ.
In Templum veniet, cunis Antonius ille
(Quem prius agnoſcent Ferrandi nomine, rubrâ
Indutus cum veſte puer famulabitur aris)
Quod faciet ventura ſuis per ſecula clarum.
Illic excelſo pendens à ſtipite Chriſtus,
Paſtores quem moris erit præcedere ſacros;
Ut firmet divina manus, quæ Luſa patrarunt
Pectora, ſignabit clavo pia dextra revulſo.
Lætitiæ qui plauſus erit? Quæ gaudia, quando
Pignora plebs nitidi Mavortia cernet Olympi?
Dum tamen Auguſtus properans contendet ad Aulam;
Imperii flectet prudens RODERICUS habenas,
Atque ut prona novum Regem Caſtella ſequantur,
Litera ſufficiet ſubſcripto nomine CUNHA.
Sic Patriæ charo radiabit honore parentis,
Sic erit æterno ſemper memorabilis ævo.
Principis in nomen regnum jurabit, & ipſe
Primus erit, qui facta fide confirmet avorum.
Hæc RODERICUS aget Patriæ perductus amore;
At quid aget ſtudio meliori raptus? egenus
Eſſe volet, tenui contentus parte, fluenta
Pauperibus pretioſa dabit, quæ damna levabit?
Virginibus quantis ſervabit dote pudorem?
Pinguia non parcam cumulabunt fercula menſam,
Aurea nec grato ſpumabunt pocula vino;

Teſtea

Testea frugali Pastori vasa placebunt,
Atque dapes, queis sancta queant jejunia solvi.
Membra gravi tenuata flagro nunc aspice, frustrà
Tentabit pia facta sequi pallentibus umbris,
Nam flagra sanguineâ crudelia voce loquentur.
Quam referunt virtus candentia lilia, summo
Culta gradu, niveo Roderici tempora serto
Cinget, & innocuâ fulgebit dextera palmâ.
Lectus erit, fluidæ quo ponet vincula vitæ,
Præsulis ô pietas! ante elargitus egeno.
Concidet assiduo fragilis natura labore,
Mortalem non facta sinent producere cursum:
Occidet æternæ capturus præmia vitæ;
Proh dolor! immenso fundet suspiria quæstu
Pauperies inculta, Patrem cùm viderit atrâ
Morte triumphatum, tristis petet æthera clamor;
Et querulos gemitus spirantia pectora proment.
Palladiæ qui Sceptra regit, vel præsidet arci,
Vascus erit gentis Sousanæ clara propago, (18)
Invida sed rapiet tenerâ Libitina juventâ,
Duraque præcidet generosa ex arbore ramum.
Ille Almeida Lupus, Tubuccûm gloria, munus, (19)
Cùm sit Convictor, Collegæ præferet. Atri
Castra Taide (20) sequens Gradivi horrentia, dulci
Posteritate tamen, quâ floreat ipse, carebit.
Castrius (21) augusto veniens è sanguine Regum,
Quantus erit, Romæ domitrix celsa Ebora dicet,
Et renuente fidem Hebræo servabit avitam.

M Optima

Optima MARTINUS fratris veſtigia CASTRO [22]
Obſervata leget, Sanctiſſima caſtra ſequetur.
FREIRIUS agnomen clarâ quod fama loquellâ [23]
Tempore ceſſabit nunquam celebrare futuro,
Eriget Iſacidum Fidei vexilla ruinâ.
Lumine cœleſti ſpernens ANTONIUS Orbem [24]
Aſpera Tereſæ promptus documenta ſequetur.
Aſpice MENDOÇAM [25] decorantem tempora ſacro
Tegmine, & antiquæ dominantem mœnibus urbis,
Quam Tagus aurifero circundat flumine dives.
Inviolata ſenex defendet jura, furorem
Comprimet, optatum referetque ex hoſte triumphum.
LIMA [26] triumphati mundi ſpe victor inanis
Induet abjectus Guſmani tegmina ſacra.
ALVARUS en veniet proles ſpectata TAIDE, [27]
Cui facibus Divus cœleſtibus ignis aduret
Ilia, ſuccenſus flammas ſuperabit Averni,
Atque coronandus purum conſcendet Olympum.
Virtutum jucundus odor, præclaraque fama
Nominis Hiſpanum coget renovare Philippum
Inclyta facta Viri; maiori condet honore
Corporis exuvias tabis ſine labe repertas.
MELLO Brigantinæ ſoboles ſanctiſſima gentis [28]
Quanta dabit demiſſi animi argumenta! Vetuſti
Induet ardenti Carmeli pectore veſtem.
Non illum celebrata domûs inflabit origo,
Aut ſpecies vanæ, queis neſcia corda tumeſcunt:
Cùmque Brigantinum cogetur viſere, quantum

Abnuet

Abnuet abjectus? Quantus pudor imbuet ora?
Contemptas habitare casas, palatia celsa
Spernere mortales tua MELLO exempla docebunt.
Quà prece, quà lacrymis dignos vitabit honores,
Sanguinis egregii quos nobilis unda meretur.
Ut tamen optatis faveant pia Numina, cœlum
Scandet, & in Patriam deluso fratre volabit.
Nunc aderit CÆSAR MENESIUS ille SEBASTUS, (29)
Quem Lusitanæ faciet miracula gentis
Præcipiti fortuna rotâ; quot munera reddent
Insignem præclara virum! Tamen impia sortis
Damna feret dubiæ; fatis agitatus acerbis
Immotus, constansque animo felicia cernet
Tempora, & impavido contraria tempora vultu.
Actus in exilium petet urbis mœnia Portus,
Hîc monumenta sacræ pietatis multa relinquet,
Dextera nam dives gemitus satiabit egeni.
Huc veniet Cosmas, cui tradet Hetruria Sceptrum,
Et populos solers longâ ditione tenebit;
Qui mores hominum varios, urbesque notabit,
Difficiles regnandi artes ut discere possit.
Obsequio quanto Cosmæ famulabitur! Urbis
Undique festivo resonabunt compita plausu,
Vocibus & proment læti nova gaudia Cives.
Mittet dona manu promptâ generosa SEBASTUS,
CESARE digna quidem, tanto haud minus hospite digna.
Confectus mœrore gravi, mortalia claudet
Lumina, & æternùm facundia rara silebit.

Utque humilis pateant venturo tempore cordis
Signa, jubente humili condentur membra ſepulchro.
Sic animo Cæsar, calamo ſic Cæsar avenâ
Carmina ſublimi componet dulcia; libros
Fama feret doctos totum pennata per Orbem.
Faro (30) Brigantinæ frondoſus ſurculus altæ
Arboris, egregio poſt funera nomine vivet.
Mello Brigantinus, quem munere clara Decani (31)
Ebora conſpiciet; ſacris venerabitur Aula
Lyſia Præpoſitum, electum colet Infula Portûs.
Poſthabitâ qui Lima (32) venit jam Pallade, Martis
Promptus ad arma trucis luſtrabit Belgica rura,
At Genua exanimem cernet turrita jacentem.
Aſpice Rodricum, veteri de gente Menezes: (33)
Quantus erit! Quàm multa Viro ſunt munera! Præſes
Summus erit Themidis, Palatinique Senatûs,
Præpoſitus Regis ſtabulo, Cuſtosque Cubilis
Regalis; Luſamque reget prudentibus Aulam
Conſiliis, ſeu bella gerat, ſeu fœdera firmet.
Obſequio ductus Collimbrica prata Jacobus (34)
Deſeret (agnomen dat Portugallia celſum)
Et bello Quarti defendet jura Joannis,
Proh dolor! Undanti cerno tumularier undâ.
Qui premet egregium Ludovicum mœror Abranches, (35)
Cui Regem fortuna ſuum obſervare negabit,
Heſperiâ invitus ſemper detentus in orâ?
Ut queat Auguſti relevare Georgius æſtum (36)
Aurife-

Auriferas Scalabi sulcabit pectore lymphas,
Queis Tagus Oceano portoria limpida solvit,
Infelix liquido deponet membra sepulchro.
En venit ille pius Saldanha Antonius, (37) ortus
Sanguine conspicuo, vanas qui proteret umbras,
Ludicra queis rapiunt secli figmenta juventam.
Ignati vexilla probus sacrata sequetur,
Mentem ubi sydereis documentis imbuet, alto
Contemptu discens fastus illudere mundi.
Ignis inardescet juvenili in pectore, linquet
Et natale solum; Fidei succensus amore
Indica regna petet, zeloque armatus Avernum
Concutiet, referetque immani ex gente triumphos.
Quà Sol exoritur, generoso pectore quæret,
Magnorum ut famam Mendoça (38) extendat Avorum.
Ebora quàm felix, videat cum Lima Decanum! (39)
Oh! quantum infelix, cùm tristis cernat acerbo
Funere defunctum vernanti ætate vigentem!
Sylva Rodericus Tello, (40) quem Sylvia proles
Proferet, ardenti sequitur dum pectore Martem,
Ut Brigantini pugnet pro jure Joannis,
Ad manes ibit gelidis submersus in undis.
Garcia adveniet celebri cognomine Mello, (41)
Hic Sylvis Præfectus erit, reget ipse Senatum,
Quo Themis æquato perpendit pondere lances;
Ordinum & ipse Trium doctâ reget arte Tribunal,
Et Palatinum multis moderabitur annis.
Felix sed placidi dulcedine raptus Olympi

Munia

Munia dimittet, titulos contemnet inanes,
Poſſit ut æternâ ſuperûm regione locari.
Ille ſenex, cujus caput Infula terna coronat,
Mello erit illuſtri prognatus gente Joannes, (42)
Barbarici qui celſa colet juga montis, & alto
Culmine perdiſcet precibus conſcendere cœlum.
Hic tamen Angelicam dum vitam moribus æquat;
Præſcribente Petro, cui Lyſia ſerviet Aula,
Elvia, Viſeum, Collimbria Præſule tanto
Gaudebunt, prudensque greges in paſcua ducet.
Aſpera Tereſæ Buſſacum nomine dictam,
Sanctius ut vivat, ſoboles habitabit Eremum.
Picta Redemptoris videas tormenta, cruorem
Quæ ſparſere ſacrum, cecidit cum victima amoris:
Præſul at egregius meliori effingere formâ
Dulcia curabit Chriſti monumenta dolorum.
Ædes hîc ſurget, quam dicent Golgotha; ſumptu
Paſtoris fundata pio; ſuper oſtia pendet
Parmula, quam decorant morientis Stigmata Chriſti,
Pungentesque rubi contracti in ſerta coronant.
Hic volet ut cultu Chriſti pendentis imago
A Cruce perpetuo, ſummoque colatur honore:
Ipſe ſacrum portabit onus, portabit ad aram,
Quâ velut in ſolio veneretur thure fideli.
Præſul at aſſiduo tenuatus membra labore
Immaculata petet diuturnæ præmia vitæ.
Ipsâ, quam vivens puro dilexit amore,
In cineres abiens ſacrâ condetur Eremo.

Maior

Maior erit post fata; poli super astra sedenti
Plurima vota dabunt plausum suspensa sepulchro.
Cæsarum & ipse satus generoso è stemmate CÆSAR (43)
Sedis Ulysseæ fungetur munere sacro.
JOSEPHUS surget soboles antiqua MENEZES, (44)
A puero incipiet prædicere magna: fenestrâ
Excidet ex altâ certo discrimine vitæ,
Incolumem (res mira!) domum pia cura reducet.
Rectorem aspiciet felix Academia, prudens
Defendet sua jura, omnes moderabitur æquè,
Atque supercilio componet cuncta severo.
Infula Mirandæ doctissima tempora cinget,
Præstabit titulos Algarbica Mitra decoros,
Tertia præcinget frontem Lamecia, tandem
Præsule prisca choros Josepho Brachara ducet.
Intereà Lysia Fidei ditione supremus
Excedet vindex Lancastrius ille, Coronæ
Purpureæ sublime decus, seu sanguinis altum
Splendorem quæras, seu vitæ exempla requiras.
Illius in Sedem Petrus Rex ille benignus
Cujus in ore virûm nunquam vaga fama senescet,
Sufficiet JOSEPH nulli integritate secundum.
Muneris at tanti renuet generosus honorem,
Cum grege constituens extremam claudere lucem.
Morbidus ergo petet veteris palatia sedis,
Exuviasque brevî deponet corporis urnâ:
At desiderio tabescent corda perenni,
Namque erit impavidus juris defensor, & æqui;

Palladis

Palladis arte potens, animoque ad maxima prompto?
Hic erit elargitor opum, miſeratus egenos
Cernere non poterit, ſubito quin dextera larga
Conferat urgenti medicamina grata periclo.
Hic erit ille pius, teneras qui dote puellas
Ditabit, ſacrata petant ut clauſtra ſupremi
Numinis obſequio vigilanti corde dicatæ.
Quàm vilis! quàm parva domus! quàm curta ſupellex!
Ut miſeros ditare queat generoſus egenos,
Munera nec claro præſtabit ſanguine junctis.
Nobile qui retinet SYLVEIRA (45) agnomen, amabit
Horrida caſtra ſequi, bellique audire tumultus:
Sed lucem optatâ claudet ſine prole ſupremam.
Plurima qui profert præclara volumina, gente
Illuſtri prognatus erit LAURENTIUS, (46) illum
Quo Crucis acta leges, moderantem cerne Tribunal;
Illius in Mariam pietas, cultusque patebunt,
Ædem cùm ſacram Collis conſtruxerit Aſpri
Nomine, quâ Virgo miracula multa patrabit.
Illius arbitrio venerabitur æde Synaxis
Virginis, ægroti divina ut pabula guſtent
Promptius, & vivo lucrentur pane ſalutem.
Privatæ contentus erit dulcedine vitæ,
Paſtorale pedum Lameci reſpuet, ingens
Gloria magnificos ſecli contemnere faſtus!
Nobile nomen Avi referens Mendocia proles (47)
MOURA venit, gratos felix Collimbria ducet
Hoc Rectore dies; illo moderante Paleſtra

Progreſſus

Progressus faciet, studiisque Minerva vigebit.
Sed jam magna viro debentur præmia tanto:
Infula transactis celebrata Egitanica seclis
Tempora distinguet Mouræ, mox ardua promptus
Munera soliciti, prudensque explebit honoris.
Brachara plorabit vigili viduata Joanne
Præsule, substituet Rodericum Petrus, & illic
Munificæ argumenta dabit ter maximâ dextræ:
Alterius poterit fundator dicier Urbis;
Omnia restituet, renovata palatia surgent:
Ipsa olim Sedes densis obscura tenêbris
Pontificis sumptu maiori luce micabit.
Aligerum Dominæ moles sacrabitur almæ,
Incola cujus erit sponso devota superno
Candida pura cohors, triplici religata coronâ.
Machina consurget, finis spes excitat omnes,
Tempora labuntur, tardis sed passibus errans
Tempus ad optatum prohibet perducere finem.
Numini at æterno Præsul Rodericus honorem
Dilatum præstare volens, maioribus ultro
Posthabitis curis, turbâque silente minorum
Absolvet, finemque dabit, Cœtusque sonora
Incipiet sponso modulari carmina laudum.
Non poterit Templo Matri sine labe dicato
Extremas adhibere manus: mors impia justis
Finibus obstabit, cœpto desistere coget.
Brachara ab Urbe parum collem distare videbis,
Quo super immanes cruciatus fingere Verbi

Erudiet benè gratus amor, ſed tempore motum
Cuncta trahent rapidum fœdam properante ruinam.
Horrida ſylva rubis, vepribusque referta malignis
Tunc erit, immenſi fuerant ubi ſigna doloris.
Auguſtæ non iſta fèret pius Arbiter Urbis,
Purgabit vigilans denſis loca conſita dumis:
Conſtruet à dextrâ, lævâque ſedilia, poſſint
Dulce fatigatis quæ ſuppeditare levamen.
Hoc ſpatio emenſo, ſtudio fabricata perito
Porticus aſſurget gemino circundata fonte.
Hæc nova Jeruſalem ſcalpro cælata rigenti
Sculpet epyſtilio lapicîdæ dextera verba.
Protinus aſpicies clivum conſurgere mollem,
Quo veluti ſpeculâ latè diffuſa per agros
Lumina conſpicient terrarum diſſita longè:
Ædiculæ ſurgent, quarum pars una refecta,
Altera ſed Mouræ fundamine ſurget ad aſtra,
Ut memores poſſint duros patientis Ieſu
Chriſtiadæ tenero meditari corde dolores.
Imponet ſacram transfixus amore coronam
Verus homo, verusque Deus de ſtipite pendens.
Hinc longo excurſo ſpatio ædes ultima ſurget,
Quâ lacrymis ſuffuſa genas illa inclyta Caſtri
Gloria Magdalici commiſſa piacula delens,
Atque hominum alliciens exemplo corda coletur.
Optimus aſt animi quando nova prodere Paſtor
Argumenta volet, queis Brachara celſa vetuſtum
Splendorem renovare queat, mors invida falcis

Deme-

Demetet infaustæ violento vulnere vitam.
Occidet ille pius cunctos dignissimus inter
Præsul, ab illustri pietate colendus in ævum.
At nihil officient surdæ fera spicula mortis,
Perpetuò volitans viventem fama loquetur.
Pastor erit Portus Alacris SALDANIA, (48) clarus
Sanguine, & antiquâ serie venerandus avorum.
Tempore, quo Lysiæ populaverit arva Philippus,
Qui reget Hispanam regali nomine gentem,
Pro grege, pro Patria, pro Principe dura cruenti
Martis ad arma volans, temnensque pericula belli
Pectoris alta dabit SALDANIA signa fidelis.
Non deerunt tantæ virtuti præmia, frontem
Infula adornabit sacris Egitanica vittis,
Munera Pastoris vigili persolvere mente
Cura erit insomnis, curarum pondere pressus
Impiger, ut motos possit componere fluctus,
Sedulus Æolidis conscendet mœnia; longam
Non feret ille moram: duro Libitina furore
Effera compellet placidis concedere fatis.
Ab Jove principium generis qui ducit Ibero,
VASCONCELLUS erit, (49) puro qui corde Mariæ
Virginis augebit cultum, Matremque vocabit,
Ut duce contingat cœlesti sidere portum.
Cùm Lysiæ facies sese immutaverit Aulæ,
Substituetque Petrus fratrem generosus inertem,
Impia fortunæ patietur damna, secunda
Adversis agitata ruent, ludibria casûs

N 2 Mens

Mens invicta feret, vultuque videbit aperto.
Æmula sed tandem, lachrymosaque fata recedent;
Vera triumphabunt, fugient mendacia fuco
Illita fallaci, veterique fruetur honore.
Hic maiora reget mitrato vertice Templa,
Mœnia Lameci decorant quæ sacra vetusti,
Ridentisque Urbis nomen quæ ad sidera tollunt.
Ut Themidis decreta novâ rectissima curâ
Omnibus & pariter justum servetur, & æquum,
Eliget ipse viros, docti qui jure severum
Judicium proferre queant; mox Pastor ovilis
Sedulus inquiret vitæ discrimine mores.
Montibus æquabit valles, perque ardua gressus
Diriget ardentes, impervia plana patebunt,
Seu pedibus, seu vectus equo, sint abdita, rupes
Quæ valeant alto superare cacumine cœlum,
Omnia lustrabit, dignum nam Præsule munus
Ut veneranda gregem foveat præsentia carum.
Alphonsi soboles Sanctissima Virgo Joanna,
(Illius Alphonsi, Regis quem nomine Quinti
Lusa colit, spoliis clarum quem Punica tellus
Victa coronabit, Lybicique agnomine Martis)
Despiciet Regum thalamos virtutis amore,
Possit ut Aligeris similem traducere vitam.
Insuper illecebras fugiens interrita secli
Ibit ad Averii purissima claustra, benigni
Queis sponsæ urgebunt vestigia passibus Agni,
Hispanique Ducis, qui turpia voce Tolosæ

Agmina

Agmina disjiciet, niveam cui lucida frontem
Stella exornabit, documenta sacrata sequentur.
Dùm teneros vitæ servarit spiritus artus,
Et postquam ad superas victrix conscenderit arces,
Quà prece, quà lacrymis, quà votis ritè vocata
Auxilii quot signa dabit? tam mira relatu
Edet, ut ille Dei, qui sede Vicarius altâ
Præsidet, astrifero regnantem dicat Olympo.
Corporis exuvias aliò transferre sacrati
Imperat Augustus Lysiæ moderator, avitam
Qui superat pompam celso splendore, Joannes.
Conferet Averium Præsul sese inclytus, auri
Copia magna fluet, veniet pretiosa supellex,
Undique vel pretio, magnove labore vocata:
Hîc aderit quæ turba hilaris modulamine cantus
Corda levat, tristique fugat de pectore curas.
Averio cœlum totum incubuisse putabis;
Publica festivo resonabunt compita plausu,
Innumerâque frequens undabit semita turbâ,
Ut pia miretur memori spectacula mente,
Queis cineres sacros excelsâ mole recondet.
Haud semel insignis pompam spectare licebit
Præsulis, ast iterùm sacrato lumine Sousam
Cernere fulgentem, niveam modo cerne cohortem,
Arctas cui leges, dabit & sua dogmata Christi
Vulneribus decoratus homo: Maria illa beatis
Jam dudum associata choris (cognomine sacri
Quæ Lateris nomen reddet speciosius altum)

Præſcia venturi multo promiſerat ante.
Tempora decurrent, incæptaque mœnia tandem
Tempus ad optatam faciet perducere metam.
Omnia diſponet, quæ ſunt aptiſſima Myſtæ,
Et tanto condigna Viro; petet impiger arva,
Surgit ubi devota Deo nova Regia moles.
Aſpice quàm læto vultu, quàm fronte ſerenâ
Pontificis gerat ipſe piâ ſacra munera dextrâ.
Illas excipiet Claræ documenta ſequentes,
Ebora quas mittet veteris pietatis origo,
Ut manſura domûs ponant fundamina ſanctæ.
Inſpice nunc SOUSAM Lorvania tecta petentem,
Quà tumulata jacent auguſta cadavera; Regis
Alphonſi ſociata toro Tereſia, virgo
Sancia Luſiaci ſoboles pulcherrima Sancî
Utraque; cerne novo condentem membra ſepulchro,
Poſtquam Romanâ Petri ſucceſſor ab arce
Dixerit ore ſacro cœlo regnare ſorores.
En rurſus petet Averium: quanta aurea nummûm
Flumina magnifici diffundet dextera SOUSÆ,
Ut probet auſteri ſanctiſſima facta Joannis,
Quo mage Carmeli radiabunt culmina montis?
Lamecum dicet, dicet Collimbria, quantus
Paſtor erit! quales non perferet ille labores
Pro grege commiſſo! Vigilis manus utraque SOUSÆ
Pauperiem auriferâ ditabit prodiga venâ.
Paſtoris qui clauſtra colunt, qui thure ſuavi
Et lacrymis, votisque ſacris pia Numina placant

Egregii

Egregii ſemper dicent regalia dona:
Delubris etiam dicet donata ſupellex,
Ductile quam grato filo diſcriminat aurum,
In ſuperos Præſul quanto rapiatur amore.
Aſt ætate gravis, morboque oppreſſus acuto
In lacrymas ſolvet miſerorum pectora, ponet
Quod mortale gerit, petet ignea ſpiritus aſtra.
Funeris exequias mæſti gregis unda rependet,
Servabitque pio diuturnum corde dolorem.
Editus in lucem veteri de gente Joannes (50)
Ille erit, illuſtrans generis cognomine nomen.
At ſponsâ, gnatisque ictu ſpoliatus acerbo
Extremum vano cupiens vale dicere mundo;
Perficiet quæ vera pius menti offeret ardor;
Et procul illuſtri vivet ſemotus ab Aulâ
Ut vacuus curis poſſit conſcendere Olympum.
Ille erit EMMANUEL, (51) qui munia ſacra relinquet;
Ut thalami poſſit conſortem ducere dignam,
Hinc epulas veniet regnanti ſcindere gratas.
En LUDOVICUS adeſt ALMEIDA, (52) illuſtris origo
Nominis eſt tanti; rapiet Mavortius ignis,
Bella geret, ſociique tori conſortia quæret.
Proferet in lucem MELLO (53) clara Ebora, Romæ
Advena notus erit, felix & Hetruria noſcet,
Urbeque Ulyſſeâ curabit Martia Regni
Munera. BERNARDUS regali è ſtirpe NORONHA (54)
Ne ſoboles Almada (genus quàm nobile!) prorſus
Intereat, cui ſorte datum diſponere curâ

Regales

Regales Orientis opes, ſibi jungere firmo
Conjugio ſtatuet, quæ jura paterna reſervat.
Coutinho Emmanuel (55) Comes inclytus ille Redondo,
Quem Marialbanus producet Marchio clarus:
Ille erit egregius Patriæ reparator; Iberum
Nobilitas oppreſſa jugum cùm Lyſia ſolvet.
Hiſpanûm exitio creſcet Mars Luſus, ad arma
Pro Patria pugnans generoſo corde volabit.
Occidet heu! Quartus Lyſiæ Dominator avitæ,
Aſſeruit qui Regna ſibi uſurpata, Joannes:
Nobilis illa reget populos Hiſpana Virago,
Quæ tanto viduata viro regalia jura
Perficiet, famâque implebit nominis Orbem.
Mœnia conſpicies Elvenſia milite cincta
Heſperio, jam preſſa fame, jam proxima fato.
At Regina volens fatali occurrere damno,
Luſiacas acies coget Ductore Meneſes
Subſidium afflictis, certamque afferre ſalutem.
Ibit, & invictam viridanti gramine frontem
Cinget, & Hiſpano perfundet ſanguine campos.
Sufficiet non una Duci victoria Luſo,
Maiori jam digna tubâ certamina cerne:
Montes, quos celebrat Claros gens priſca, recenti
Cæde horrent, albentque hoſtilibus oſſibus agri.
Nam cupiens amiſſa novo conſtringere Regna
Compede, deſpiciet jacturas corde Philippus
Magnanimo elapſas; rurſus nova bella parabit:

Irruet

Irruet armatus Lyſiam rapturus, & armis
Alphonſum ſtatuet Solio exturbare paterno.
Undique conquiret largâ mercede phalanges,
Bellica quas decoret virtus, & prælia notas
Aſpera quas faciant, Martisque laboribus aptas.
Illa cohors aderit multos celebrata per annos,
Qua pugnax hoſtes Germania ſternet acerbos,
Inviĉtæque Manûs gaudebit nomine claro.
Hanc reget intrepidus Comes ille Rebatius, annis,
Et cautâ jam mente ſenex, prudentia magnum
Reddet, & inſignem præclara ſcientia belli:
Marchio Duĉtor erit Caracenius, inclytus arte
Palladis, & rigidâ caſtrorum lege peritus.
Turgidus hic veniet minitans fera damna, vocabit
Indoĉtos ad bella Duces, quos miſerat ante
Heſperiæ Princeps; ridebit & agmina Luſûm,
Luſiadas ad Martis opus nam dicet ineptos:
Attamen elati luet altè incommoda faſtûs.
Conſeret ille manus, at fortia geſta videbit,
Queis Luſi ſervare ſolent regalia jura.
Aufugiet viĉtus, poſitisque tumentibus auſis
Præcipiti quæret Badajocia mœnia curſu.
Pars ferro occumbet, cadet ipſe Rebatius Heros
Teutonicus, pars colla trahet religata catenis.
Luſus ſigna feret viĉtricia, celſa trophæis
Culmina adornabit, Claris & Montibus addent
Ardua ſplendorem robuſtæ pignora dextræ.
Inclyta curabit tanti veſtigia natus

O Obſerva;

Obſervare patris: Mavortia ſigna ſequetur.
Ut videat mores hominum, penetrabit in oras
Longinquas, alioque petet ſub Sole calentes.
Haud poterit magnum factis oſtendere patrem,
Nam cadet exanimis funeſtæ vulnere mortis.
Alvarus en veniet celsâ de ſtirpe Noronha, (56)
Gaudeat illa vetus Collipo Præſule quantum,
Mores cerne gregis, ſacratos inſpice mores,
Relligio quos clara pii revocabit Abranches.
Ebora Pontificum magnorum cognita ſedes
Offeret antiquas, ornet queis tempora, vittas,
Sed renuet conſtans oblati pondus honoris.
Servantem videas Themidis decreta ſeveræ,
Sic reget ille gregem, plectet ſic facta reorum:
Juris amor librare ſolet lance omnibus æquâ.
Ille atavis clarus, Regumque inſignibus ille
Arboris egregiæ (nomen cui Sylvia) ramus,
Nonius (57) excelſi generis ſplendore coruſcans,
Splendorem generis vincet virtutibus, alto
Captus amore poli tractabit vilia, faſtum
Deſpiciet, maculasque vago pius imbre lavabit.
Edet Ulyſſippo notum cognomine Mello, (58)
Qui ſacra demittet, fruitur queis, munera; ſponſam
Eligat ut dignam; carâ ſine prole recedet.
Nobilis Alphonsus clarâ de gente Noronha: (59)
At juvenem perimet rapidæ vis ignea glandis.
Nunc immane ſcelus cogor memorare, dolorem
Infandum renovare jubet rerum ordo; videbis

Pauli-

Paulini illustrem Cœtûs regalis alumnum,
Qui decus à Sousa deducet stirpe Joannem. (60)
Magnus erit, videas vel avum, videasve parentem.
En petet Ausonias sedes avus inclytus, Urbis
(Nobilis Imperii surgit quâ Regia sacri)
Mœnia Romulidæ Legati munere quæret.
Quâ pompâ, quali seu maiestate supremo
Munia Pontifici Christi sacrata gerenti
Offeret augusti Petri pia vota Regentis?
Excipiet Clemens quantâ pietate benignus
Legatum Lysiæ! Curvo cùm viderit Orbem
Poplite adorantem magni sub nomine Petri!
Hic avus; hic fastis nullo delebilis ævo:
Eximii narrare juvat modo facta parentis.
Quæ celebrat vaga fama virûm, superata videbis,
Nunc maiora canam, sileant oracula Vatum,
Qui norunt mentita trucis confingere belli
Numina, & egregium verbis componere Martem.
Brasiliam versus salsum maris æquor arantem
Conspice Francisci sobolem, quæ sanguine Regum
Et genus, & proavos ducens, tot facta patrabit,
Debeat, ut dubites, jactari Regibus ille,
An Reges tanto sese jactare nepote.
Illic atra lues miserandæ mortis origo
Sæviet, incassum poterit medicina levamen,
Auxiliumve dare; ardenti Libitina furore
Cuncta metet, tristi frigescent membra sepulchro.
Tunc pietas spectata Viri mirabitur, omnes

In partes ſe volvet amans, pia dextera nimbos
Argenti fundet, ſumptu medicamina ſolvet
Magnanimo, afflictis bellaria mittet egenis,
Et ſtudio optatam faciet reparare ſalutem.
Ecce iterùm quæret patrias Antonius oras,
Dives opum, quas ſola poteſt concedere virtus.
Dùm tamen alta ſuæ decerpet præmia famæ,
Occidet Hiſpanûm Rex Carolus ille Secundus,
(Qui deſiderio populos cruciabit Iberos,
Æternoque ſui flagrabunt Regis amore)
Regnaque præripiet tabulis legata ſupremis
Sanguinis Andegavum clarus Dux jure Philippus.
Tota Europa fremet cæco turbata tumultu,
Indignata volens juvenem removere Philippum.
Anglica belligero premet æquora pondere claſſis,
Duraque bella minans, portum perquiret, amœnus
Quo Tagus auriferis in ſalſum volvitur undis.
Carolus huc veniet, quem felix Auſtria claro
Archiducis titulo obſervabit prona potentis:
Heſperiæque modo decoratum nomine Regis
Germanus, Batavus, Luſus venerabitur, Anglus.
Marte furente ruet gens Luſa, Hiſpana jacebunt
Arva Ducis populata manu, cui Souſa coronâ
Tempora victrici conſtringet nobilis arbor.
Illam cerne arcem Monſanto nomine dictam!
Conſpice quàm placido ſint proxima mœnia cœlo!
Quàm reddet natura ſuâ virtute ferocem!
Agmina cæſa ruent necquiquam obſtantia, ferro

Cuncta

Cuncta cadent, & victâ Antonius arce fruetur.
Cæsum cerne Ducem, pugnantes aspice turmas,
Quà surgit celebrata Broças, certamine tanto
Atque coronatum viridanti fronde videbis.
Urbes quot claras, quondam ditionis Iberæ
Carolus excipiet Sousâ Ductore? Triumphum
Lætus aget valido cùm celsa Alcantara ponte,
(Extruxit generosa manus) quo flumina clari
Compressit spatiosa Tagi tumefacta, superbûm
Præsidio munita Ducum, munita cruento
Milite, Lusiadum victricia jussa capesset.
Coria te victam Salmantica docta sequetur,
Mirobriga, & simili Placentia sorte jacebit.
Ibit ovans, quocunque ferat Mavortia signa,
Nuntiaque eventus felicis fama volabit.
Illa triumphatrix Hispanûm Regia Regum
Carpentanorum clarissima Mantua, supplex
Poplite quam flexo dives colet Indus, adusta
Corpore quam curvo Nasamonia terra timebit:
Regia Francisco Gallorum Rege superba
Ticini captus cùm vincla subibit Ibera:
Regia quæ magno decorabitur hospite, quærat
Limina cùm Princeps Hispanica Vallius, ille
Qui Patriam linquet sociali ductus amore:
Regia, quâ doctus florebit cœtus opacâ
Musarum cultor redimitus tempora lauro,
Quo videas modulante novem florere sorores,
Carminis & Numen regnare in vertice Pindi:

Regia

Regia magnorum genitrix generoſa virorum
Proferet in lucem quorum pars optima libros,
Servabunt qui docta gravis documenta laboris,
Atque perennabunt innuptæ Palladis artes:
Regia Martis erit duri quæ nobilis Aula;
Sive Duces videas veteres, ſeu tempore claros
Venturo aſpicias: Bernardum conſpice magnum,
Cujus ad aſpectum Rex Carolus ille ferocem
Territus aufûgit lauro ſpoliatus ovanti.
Occidua impavidos quærentes littora Iberos;
Æquoreumque Jovem timidum ſub pondere cerne.
Hæc erit illuſtris totum celebrata per Orbem
Regia Caſtellæ ſedes digniſſima Regum.
Illa tamen captiva jacet, ſubmerſa dolore
Ingemit, & triſtes diffundit ab ore querellas.
Quæ fuerat quondam domitrix invicta potentum,
Nunc Lyſiæ Ductor circumdat vincula collo.
Prodiga quàm multos effundet dextera nummos!
Præcipiti torrente fluent: pretioſa videbis
Flumina per vitreas paſſim properare feneſtras:
Munera diſtribuet, miſerorum vota precantum
Audiet, & populis imponet jura ſubactis.
Hic erit Hiſpani regni dominator, & ille
Numen erit, quod curva colent Hiſpanica regna.
Cedat Alexander ſuperato Oriente ſuperbus,
Scipio concedat tumidus Carthagine victâ,
Heroum ſileant veterum præconia, maior
Fama tibi veniet Ductor clariſſime Souſa.

Splendi-

Splendida dum tremulis radiarint sidera flammis,
Dumque citis invecta rotis Aurora rubescet,
Dum Titan fulgore vago lustraverit axes,
In mare dum volvant rapido se flumina cursu,
Attonitus Sousæ nomen venerabitur Orbis.
At nec avi poterit, patris nec gloria tanto
Longius optatam nato producere vitam.
Egregiis titulis, & bello, & pace paratis
In cœlum virtute pius, cunctisque benignus
Vulnere vitales inopino deseret auras
Saucius, & fletûs grato condetur honore.
Surculus en surgit trunco geminatus ab uno, (61)
Nobilitas quo clara viris Hispanica floret,
Seu videas furibunda sequi certamina Martis,
Sive togâ videas doctæ servire Minervæ.
Surculus unus erit Sylvæ cognomine celsus,
Ast alium illustrem cognomen Acunia reddet.
Heroas quantos celebrabit Lysia tanto
Nomine conspicuos! dicet Gangetica tellus,
Roma triumphali quondam memorabit & ore.
Emmanuel postquam Lusas tractarit habenas,
Classibus ignotum faciet proscindere pontum,
Detegat ut cunas, oriens queis surgit ab undis
Phœbus aquis, nostros beet ut splendoribus axes.
Vota coronabit felici sorte, tributa
Aurifer excipiet rapidi Tagus aurea Gangis.
Ille Heroas erit cunctos clarissimus inter
Quos referunt simulacra, tubâ seu Fama per orbem
Immen-

Immenſum verboſa feret: jam ſalſa carinis
Marmora Triſtanum ſindentem cerne, rubentis
Conjugis invictum Tithoni regna petentem.
Mos erit antiquus nullum concurrere campo,
Quin prius & galeâ reddatur clarus, & enſe.
Inſula (quam ſacro decorabit nomine Martyr,
Ignea quem ſuperas craticula tollit ad arces,
Quique pio ſanctam tutamine protegit urbem)
Teſtis erit Triſtane tui præclara decoris.
Conferet ille decus vigil Albuquercius, ille
Indorum domitor, palleſcet cujus ad ora
Maurus atrox, gelidoque rigebunt membra timore,
Æquora victori pateant cùm turbida Luſo,
Terreat & magni famâ cùm nominis hoſtes,
Diruit egregius Triſtanus mœnia primus,
Armatâque manu turritas occupat arces.
Rex tunc Emmanuel cupiet dare ſigna fidelis
Pectoris, atque Deo meritas perſolvere grates:
Ecce petet Romam Legati munere prudens
Triſtanus, tam Marte ferox, quàm pace diſertus.
Dona feret, quæ digna ſacro ſunt Principe, clarâ
Nomine qui Decimi regnabit in Urbe Leonis.
Ordine quàm longo procedat, conſpice, primum
Agmen aget ſolers famulorum turba, decora
Veſtibus artificum textis, pictisque labore.
En vario diſtincta venit Panthera colore,
Cornipedis tergo levis inſidet, ungue recurvo,
Oreque terrifico minitans necis impia damna.

Perſa

Persa regit pharetratus equum, quem grata Dianæ
Ars facit eximium, tantumque ut munus obiret
Sedulus, Armusî regali à Principe missus.
Mox Elephas docilis, regio quem gignit Eoa,
Corporeâ qui mole animalia cætera vincit:
Inferat at quacumque gradum vaga bellua lentum,
Vix poterunt plebis removerier undique turmæ,
Quas rapit insolito novitas Gangetica visu.
Capsa premit Barri fortissima terga potentis,
Quæ vestes, quæ sacra decent Altaria, condit:
Has Oriente satus discriminat unio lævis,
Igneus & flammas simulat qui luce pyropus.
Vectus equo sequitur veteri de gente Faria
Ornatis auro phaleris, auroque superbo.
Nobilium generosa legit vestigia gressu
Turba gravi; qui pone subit, Caduceus ornat
Pacifer, & vestem decorant insignia Regis.
Inclyta post graditur triplex Tristania proles,
Digna Patris soboles, Luso dignissima Regno.
Nunc Tristanus adest Lysiæ Legatus, utrumque
Ad latus incedunt Regum qui jura tuentur,
Et bello, pacique solent imponere finem.
Urbem crede vagos iterùm spectare triumphos,
Cùm gens victa jugo subdebat colla Latino.
Sic Tristanus ovans gemmis ornatus, & auro
Ad castrum veniet (Moles Adrianica verbo
Dicitur antiquo, Latii monumenta laboris,
Sanctus at egregiam modo protegit Angelus Arcem

Nomine) continuò ſtrepitu Vulcania rauco
Machina Legato venienti plaudet; opaca
Pulveris at nubes vento diſpulſa nitrati
Conſpicienda dabit venerabilis ora Leonis:
Cujus ad aſpectus Elephas (mirabile viſu!)
Humanos habitus bruto ſub pectore fingens
Ter venerabundus procumbet poplite curvo,
Chriſtiadûm Patrem generoſo ut more ſalutet.
Haud ſatis eſt: properâ levitate proboſcide lympham,
Quam patulo ſervare ſolet cadus ore profundus,
Hauriet, ad ſummas jaculabitur uſque feneſtras,
Attonitamque levi perfundet rore catervam.
At Leo perpendens ſit quantus Acunia, fama
Quanta triumphato Triſtanum Oriente coronet,
Turcarum cupiens auſus compeſcere diros,
Qui tentant populare ſacræ loca proxima Romæ,
Præficiet claſſi, quam Martius ardor adornat;
Lyſius aſt Heros nihilo tumefactus honorem
Oblatum renuet, grates pro munere reddet.
Ergo paterna petet Triſtanus limina, Regi
Gratus, & Auſoniis ſemper memorabilis oris.
Oh! quanto Emmanuel redeuntem celſus amore
Excipiet! Præclara virum quot præmia magnum
Digna decorabunt, Luſam qui ad ſidera gentem
Extulit, & ſummo famam exæquavit Olympo!
Indica Regna vide Prætoris munere gnatum
Quærentem poſt viſa ſoli miracla Latini.
Hic erit ille ſacri ferro qui dogmatis hoſtes

Fundi-

Funditus evertet, flammisque voracibus uret.
Hic erit ille Dii, Lusi qui mœnia subdat
Principis imperio, gentis prædantis asyllum
Quod faciet natura loci circundata ponto.
Tertius optabit validæ dominarier arci
Lusiadûm qui sceptra reget spatiosa Joannes:
Cuncta vel ingenio quamvis, vel milite tentent
Olli, queis Indos mandata est cura regendi,
Principis haud poterunt iterata facescere jussa.
At peragens Prætor regalia jussa labore
Nonius insomni, cæso Badure, Diensem
Occupat, attonitâ Cambayâ, sedulus arcem.
Arx erit illa Dium, Lusum quâ fama per Orbem
Victorem stupefacta feret: Mahometica turba
Hanc geminâ obsidione premet; Mavortia proles
Et Mascarenus, simul & Sylveria Maurûm
Sanguine perfusi tam fortia facta patrabunt,
Ut memoris superent Latiæ præconia vocis.
Cede vetus, concede Dio Numantia, quondam
Romanæ gentis funestâ clade superba:
Belligeri fastum depone tumoris inanem,
Turgida nam virtus supponere colla coegit.
At cervix elata Dii non viribus æquis
Excutiet servile jugum, imperterrita Turcas
Negliget immanes tantis immota periclis.
Adveniet tempus remeandi: Nonius ergo
Conscendet navem, quâ Lysia littora quærat.
Optatis inimica dabunt non fata potiri,

Namque viam dum puppe facit, tela impia lethum
Flebile conjiciet, rapietque ex vulnere vitam.
Inter at Heroas memorandus Nonius astris
Intulit illa Orbis domitrix quos Roma colendos,
Æquum erit ut totam celebrato nomine terram
Impleat, & pontum spoliato corpore vitâ.
Nonius en veniet spectatus origine tantâ,
Moribus egregios mores qui reddet avorum:
Regia pro meritis prudentia magna Joannis
Præmia digna dabit; testabitur Elvia sacra,
Elvensi at renuet circundare tempora mitrâ.
Sed modo cerne virum, quam munia clara coronent!
Sacrifici magni decoratum conspice Nonum
Munere, parva loquor, referam maiora, sacratæ
Hic Fidei Quæsitor erit ter maximus, illo
Præside pura Fides sanctissima signa levabit,
Ifacidumque dolos superabit læta bilingues.
Attamen ut pateat maiori gloria cultu,
Ut Pauli Cœtum, Romamque illustret, & Orbem,
Murice fulgebit Romano Nonius, olli
Imponet Regis decoris nova signa rubentis
Dextera, ut antiqui monimentum firmet amoris.
Undecimo viduata pio Clemente vacabit
Sedes; illa sedet sacri quâ Pastor ovilis,
Christicolis dans jura Pater, cui summa potestas
In cœlo, terrâque datur: mox nuntia mortis
Fama ruet, cogetque Patres accedere ad Urbem.
Nonius ergo petet solidas, quas Romulus arces
Condi-

Condidit, & placido committet lintea vento.
O nimium dilecte Deo, tibi militat æquor,
Et conjurati veniunt ad carbasa venti!
Sic erit, appellet navem felicibus Euris,
At jam regnantem divini Flaminis aurâ
Innocuum inveniet, quem Regia Lusa videbit
Legati sacræ fungentem munere Sedis.
Optima signa dabit veterem testantia amorem,
Purpureum dabit ipsa manus sacrata Galerum,
Consiliisque addet socium, queis dirigit alma
Urbs Orbem, & populos sancta sub lege gubernat,
Virginis & titulo puræ distinguet, inanem
Sanguine quæ fuso mundum superavit, & Orcum,
Luce ipsâ, quâ Virgo Parens eduxit amictum
Tegmine mortali verum de lumine lumen.
Non feret ille animus, magnis assuetus, edacis
Temporis exitium, quo celso à culmine Templum
Corruit, & cladem ruiturâ mole minatur.
Incipiet subito veteres reparare ruinas,
Antiquum renovare decus, nova condere tecta,
Cura erit ad certam libellam condere muros,
Reddere splendorem terso squalore columnis.
Porticus interior surget, modulamine dulce
Odeûm imponet, sternet pavimenta, fenestras
Maiores aperire aptâ meditabitur arte.
Candenti vetulam instaurabit marmore frontem,
Areaque accrescet spatioso parvula circo:
Impia sic ævi vitabit damna caduci,

Lon-

Longaque ſervabit generoſum in ſecula nomen.
In patrios jam tempus erit remeare penates,
Et tanto gaudente viro diſcedere Româ.
Carpet iter dulci patriæ correptus amore,
Tentabitque viam, recolit cùm Eccleſia Lignum
Effoſſum è tenebris Helenæ pietate ſacratum.
At decore egregiis quanto excipietur in Aulis!
Quanta ubicunque ſuæ famæ monumenta relinquet!
Jamque gradu celeri patrias accedet ad oras
Luce illâ, quâ grata ſui Natalia Regis
Nobilitas digno celebrabit Lyſia cantu,
Ut micet illa dies gemino decorata nitore.
Magna virum reddent ALMEIDAM (62) munera magnum,
Reddere maiorem poterant maiora, ſed atri
Invida vis fati ſpoliabit lumine vitæ.
Qui ſequitur de ſtirpe ſatus, quæ Luſa vocatur,
SOUSA illuſtris erit, (63) quem Vimarania tellus
Præſulis inſignem titulo venerabitur alto.
Infula regna reget baculo quæ Algarbica, tanto
Pro meritis oblata viro, demiſſa placebit,
Moribus, & ſtudiis ut Luſâ ſplendeat Aulâ.
Ille ſolum verrit longo qui ſyrmate, magnus
Eſt THOMAS ALMEIDA, (64) genus cui contigit altum,
Secula ſeu videas, videas ſeu munera Gentis.
Docta Senatoris complebit munia Portu,
Urbeque, quam veterem profugus reparavit Ulyſſes.
Regibus aſtabit ſecreti conſcius; ipſe
Munera ſolus aget, poſſent quæ ſingula multi

Exerce-

Exercere viri: tanta est prudentia THOMÆ!
Laurenti reget ille sacram doctissimus ædem
Martyris, invicto quo gaudet Roma Patrono.
Hic pia magnificus dabit argumenta, sacellum
Extruet Hispano Thomæ, quem bellica rarum
Pontificem Granata colet, qui prodigus auri
Pauperibus donabit opes, queis flumina nummûm
Distribuet generosa manus, pietate secundus
Nulli erit, & Patris nomen servabit egenûm.
Insuper ornabit duplex altare, dicata
In Cruce qui veterem delevit morte reatum,
Conceptæ & Matri sceleris sine labe parentum.
Ergo Lameci juvenilia tempora cinget
Pontificalis apex, caras mox sedulus ibit
Invisurus oves, hilares quæ Præside tanto
Ultima signa dabunt testantia gaudia mentes.
Pacis amor coget Visensem accedere ad urbem,
Præsulem & inter oves ut sedet jurgia, longo
Tempore quæ turbant animos, & corda trisulco
Fulmine contempto renuunt admittere pacem.
En Thomas inopinus adest, en pacis amator
Dulcia verba dabit, grato sermone loquetur,
Componet lites, venient nova fœdera amoris.
Lamecum dicet Thomæ pia facta, fenestræ
Turpiter obscuræ sacratæ Sedis apertæ.
Sit quantum distincta auro donata supellex,
Quantave sit numero, laqueata sacraria dicent.
Regis ad imperium Lusos qui temperat axes,

Pauli-

Paulinum quæret Cœtum, quo judice mores
Vanescent veteres vulgatis legibus æquis.
Sic actus, sic justa pio decreta placebunt
Principi, ut augustum regalia munia Cœtum
Amplificent, reditûsque novi fulcimine surgat.
Altera sed vigilem quæret Thomam Insula, Portus
Irrigat auriferâ Durius quem spumifer undâ,
Præsulis excipiet venientem munere, lætos
In plausus plebs tota ruet, funalia densas
Quæ tenebras abigant, tremulo splendore micabunt,
Scenaque festivo resonabit ludicra cantu.
Ast illum cumulare volens pergrandis honoris
Culmine Lusiacis rerum dominator in oris,
Et Themidis, Martisque simul committet habenas,
Fulgeat ut solo triplex in vertice sertum.
Intereà Rex ille potens, Rex ille Joannes,
Cujus ab arbitrio pendebunt Lysia Regna,
Tempore jam à multo cupiens exponere factis
Lusitanorum sit quanta potentia Regum,
Principe digna pio regali mente revolvet.
Tempus erit cùm Turca ferox Saturnia classe
Regna petet, lunata vetus furor arma parabit,
Ultima damna, neces, & vincla minabitur arcta:
Hostili concussa metu sacra Roma tremiscet.
Rebus in adversis possit quis tendere dextram?
Impiger aut bello speratum ferre levamen?
Christiadum cùm voce Pater pulsarit Olympum,
Ausoniæ metuens extrema pericula, tutum

Pectus

Pectus quo fugiat trepidans, occurret asylum.
Tempore quo gelido trepidabit Roma timore;
Suppetiasque petet, queis casum avertere possit,
Tunc Lysiæ Legatus erit Vir clarus avorum
Stemmate magnorum Rodericus Sada Menezes,
Sadarum de stirpe satus; gens aspera bello
Hæc erit, & nomen factis extollet ad astra.
Quà patet immensi, circumspice, circulus Orbis,
Et veterum Sadas famam superare videbis.
Inspice quà latè Regio se extendit Eoa,
Et quam conspicuam reddit Titania lampas;
Cùm tenera assurgit cunis, ut luminis igne
Flammivomo nostrum radiantis compleat axem.
Illîc cerne duos, quorum se jactat honore
Lysia: primus erit Rector Garcia plagarum,
Quas rigat auriferis undis opulentus Hydaspes.
Alter Franciscus, tenui qui lumina visu
Prædita subsidio cristalli vivida reddet.
Indica rura vide Mauro madefacta cruore,
Sadarum quem fundit opis non indiga dextra:
Innumeras Arabum fugientes cerne phalanges,
Quas fugat invicti metuendus nominis horror.
Cerne alias fœdo maculantes sanguine fluctus,
Littora conversis proris modo tuta petentes.
Lumina verte aliò; Libycam nunc aspice terram,
Quam lauri fæcundat honos, ut tempora cingat
Bellica Sadarum, fuso qui sanguine Maurûm
Ardua facta gerent memori celebranda trophæo.

Q Egre-

Egregiæ ſtirpis Sadas feret inclytus ardor
Pro Patriâ, pro Lege mori; cadet ille Sebaſtus
Infortunatè Libycis occiſus in arvis,
Dùm Regem fido comitatur amore Sebaſtum.
Ecce novum quæret Sadarum ſurculus Orbem
Mendius: ignotas prudens moderabitur oras,
Tapuyasque feros humanæ carnis edaces,
Indocilesque trucis belli virtute domabit.
Fortia Gallorum compeſcet Mendius auſa,
Coget & in patrios victos remeare penates.
Maxima confecto monumenta acquiret honoris
Bello Sada vigil; nam maieſtate triumphi
Excipietur ovans populi plaudente coronâ.
Præſcius inſignem venturi conſtruet urbem,
Nomen & imponet Fluvii, qui dictus ab illo
Menſe erit antiqui decorato nomine Jani,
Auriferis ubi terra dabit ditiſſima glebis
Theſauros Lyſiæ nitidos adamante coruſco;
Ut videant Luſi quæ debet Patria Sadis.
Sed modo decurſis vaſti jam partibus Orbis,
Heroum, Ferrande, vagam nunc aſpice turbam,
Quos Europa ferax nullo non tempore gignit,
Omnibus invenies unum præcellere Sadam.
Cùm Lyſiæ caput ille altum Rex fortis Iberûm
Obſidione premet voto deluſus inani,
Excellet quæ fama colit præſtantia facta.
Hiſpano captam cùm cernat ab hoſte triremem,
Tantum concipiet mærenti corde dolorem,

Ut

Ut ductor, milesque simul discrimina quærens
Ardua, Bætigenas duro certamine coget
Præcipites dare terga, vagisque immergier undis.
Haud Sadæ egregio satis est abducere prædam,
Namque in longa volens transmittere secula nomen,
Hispanam capiet generosus Sada triremem,
A quibus æternum clarus cognomen habebit.
Proterat ut dubium Maiestas Lusa timorem,
Ferrea sufficiet proles geminata Gradivi:
Scilicet ille pius Patriæ defensor, & æqui
Nonius, antiquâ ducens ab origine stemma:
Altera erit clarâ Sadarum è gente Joannes.
Se quacumque ferat Lysiæ Rex optimus, illum
Fidus Sada Comes celeri virtute sequetur.
Hispano quæ cernis adhuc perfusa cruore
Arva, triumphantis designant prælia Lusi.
Aljubarrotæ memorandum conspice vicum,
Quo videas conferre manus utrumque Joannem,
Bellica Celtiberûm, Lusûm qui & regna gubernant.
Excitat Hispanum solio spes vana fruendi,
Cui Bisontinus posuit fundamina celsus
Henricus, regale genus, regalis origo.
Alta Beatricis stimulant connubia mentem
Principis Hispani, leni sine prole virili
Ferrando ponente animam; sed Lusa molesto
Nobilitas dare colla jugo generosa repugnat.
Tota igitur fervet furibundo Hispania bello,
Prælia terrificæ coguntur in ardua turmæ,

Armatæque volant acies; Rex aſtat uterque.
Vix tuba funeſtum cladi dedit ærea ſignum,
Horrida cùm fortis ruit in certamina Luſus,
Et pariter tumidus pugnam committit Iberus.
Hinc compellatur clamore Georgius alto,
Illinc clamosâ compellant voce Jacobum.
Incutit horrorem fati vis impia, cedunt
Agmina, victoris non ferre valentia pondus:
Hîc duce jam cæſo fruſtrà obſtat militis ardor,
Incaſſum fugiente obſtat jam milite ductor:
Omnia confundit rapido Libitina furore,
Terra tremit ſtrepitu, ſonitu ferit æthera rauco
Mulciberi fabricata manu Balliſta rubentis.
Corpora ſanguineo ſe volvunt naufraga motu,
Altera ſingultus produnt morientia duri,
Æternoque ſilent transfoſſa cadavera ſomno.
Intereà Rex Luſus ovat, devictus Iberus
Deſerit & Lyſiam, ſedesque requirit amicas.
At quam magna tibi veniet pars Sada triumphi?
Optima continget, fido nam dextra phalanges
Enſe armata metit: ſtridentis fulminis inſtar
Tela vibras victrice manu; quà ſe obvius offert
Hoſtis, ades, turmasque facis concedere campo:
Ille tuâ magnus celebrat virtute triumphum
Rex novus, auguſtâ regnans in ſede Joannes.
Illius invictam redimis diademate frontem,
In ſoliumque vehis magnorum victor avorum.
Ille tuum meritum cumulat Rex providus; ille

Præmia

Præmia digna dabit, queis martia gesta coronet.
Egregiis præstare viris te munera dicent
Regia, primus eris quem Rex distinguat honore,
Cùm te præficiat Regali Sada Cubili,
Munere quo series fulgebit clara nepotum.
Altius haud poterant decorari facta Joannis!
Ad maiora vocatur adhuc: in Regis Iberi
Scinditur obsequium simul, & gens Lusa Joannis:
Deficit à Lysio tellus Melgasia Rege,
Regis ut Hispani partes ingrata sequatur.
Sada venit, muros clypeato milite cingit,
Ut submissa jugo veteri det perfida colla.
Alta ergo scalas, queis mœnia scandere possit,
Impatiens adhibere jubet, discrimina primus
Appetit, & pulchram quærit pro Principe mortem.
Strenuus excelsâ dum tentat turre potiri,
Hostili conjecta manu ruit aspera moles
Saxea, præcipiti procumbit corpore Sada.
Tolleret è medio saxi rude pondus, at obstat
Cassida, quæ valuit certam prohibere ruinam.
Arx tamen indomitam subdit Melgasia Luso
Cervicem, nam sola urget præsentia Sadæ.
Convaluit tandem, sed famæ ductus amore
Martis amat fera castra sequi, dispendia belli
Impavidus quærit. Vetus Araduca potenti
Præsidio turget duplici circumdata vallo,
Augusti fugiens partes malefida Joannis.
Agmina sanguineâ claudunt jam Lusa coronâ
Mœnia,

Mœnia, non miſeris reſtat ſpes ulla ſalutis.
Principis at cupiens alieni ſigna tueri
Araduca ferox, metuensque exolvere pœnas,
Infauſtum curat jaculis avertere caſum.
Indignans at Sada moras, ceu fulmen, in hoſtes
Irruit armatus telo, vibrat undique telum;
Undique fit ſtrages, congeſta cadavera duro
Cerne jacere ſolo; magni vultum aſpice Sadæ
Vulnere conſpicuum, decorat quem ſanguine fuſo
Gloria bellatrix, invictum vulnere robur
Concipit inflicto, flagrantes evomit iras
Ore cruentato, dirâ ferit impiger haſtâ.
Aggere præſtanti primo virtute potitur,
Inſequitur, quos terror agit dare terga, ſecundum
Occupat hoſtili vacuum munimen Ibero.
Nunc facinus Ferrande audi, quod poſtera credet
Vix ætas, at crede mihi ſincera loquenti.
Cerne hominem laſſum bellando viribus, ictu
Sanguinis exhauſtum, nutantia membra labore
Ærumnis recreare novis; jam victor Iberum,
Quem Mavors validum reddit, naturaque pinguem,
Cruribus apprendit, raptatum in caſtra, Joannis
Projicit ante pedes, fundens hæc pectore verba:
En homines, Rex magne tibi, qui murmure ſtulto,
Menteque vecordi ferro ſe opponere tentant.
Non tamen ætatis gemuit ſub pondere feſſæ,
Annorum vel preſſit onus: ſtat bellica virtus
Flore juventutis, viget ardor ad arma decorus.

Acta

Acta probant; jam Lusa Noto dat carbasa classis,
Ardua jam quærit turritæ mœnia Septæ,
Quæ fuerat quondam damni fatalis origo,
Dura tuam rabies cùm venit perdere gentem.
Impiger armato defendit milite Maurus
Mœnia, virtuti concedet copia, Lunâ
Signa triumphatâ victricia sacra volabunt.
Sada Comes quàm fidus erit? quàm mira patrabit,
Ut Regem decoret, decoret virtute nepotes?
Illius alta premet clarus vestigia gnatus,
Aspera quem similem referent certamina patri.
Dissimiles non cernis avo, quos germinat arbor
Sadica, multiplici bellorum grata trophæo.
Non tantùm Sadas credas horrentia Martis
Castra sequi, nam docta placet documenta Minervæ
Exequi, & albenti galeam distinguere olivâ.
Unus Sada dabit docti monumenta Joannes
Artibus instructus, celebrat quas Itala tellus.
Illa ætas assueta armis, assueta labori,
Ærumnisque feri longis assueta Gradivi,
Aurea despiciet Romanæ dogmata linguæ.
Italo, & Hispano, Latio sermone loquetur,
Et Græco, memoris tanta est facundia mentis!
Restituet Latium Lysiæ, Musasque reducet
Ignotas, facietque solo considere Luso.
Doctrinæ argumenta suæ quàm multa relinquet!
Lumina Græca quidem cæco donabit Homero,
Pindarus & simili gaudebit munere; magnus

Livius

Livius implexus facilis reddetur ab illo.
Virgiliana notis maieſtas creſcet, oloris
Carmina Peligni Luſo modulamine vertet,
Palladis ut videas, & Martis fœdus amicum.
Inſpice Rodricum, quem bellica Roma videbit
Legatum, tantoque illic extolletur honore,
Ducat ut egregiam præclarâ è ſtirpe puellam,
Ut ſtet Romanis domus hæc ſuffulta columnis.
Anglica Legatum mirabitur Aula Joannem,
Qui bello, qui pace potens ſocialia Regis
Fœdera firmabit Luſi; modo cerne nepotem,
Maiores qui reddit avos, qui facta priorum
Sadarum exuperat: Romanâ Nuntius Aulâ
Quâ pompâ ingreditur? Populus quo murmure plaudit?
Ipſa novo veteres renovari Roma triumphos
Credit, & Auguſti revocari ſecla potentis.
Sacra petit, queis ſummus adeſt, Palatia Paſtor,
Quo cultu excipitur? quâ maieſtate diſertum
Legatum peragit? Pedibus pietate ſacratis
Et genibus, manibus, fronti quanta oſcula figit!
Ardua perficiet Regis mandata; Latina,
Luſaque magnificis celebrabit laudibus Aula.
Ecce viam carpet, patrios petet ipſe penates,
Adveniet; quam gratus erit? Regalia dicent
Argumenta, novique ſimul monumenta decoris.
Tempora decurrent, lenti volventur & anni,
Atque novæ à Lyſia cogent diſcedere curæ.
Braſiliæ Princeps ſoboles auguſta Joannis

Fœde-

Fœdere conjugii ſponſam ſibi deliget illam
Auguſti Mariam prognatam à ſtirpe Philippi:
Mutua ut extemplo firmet ſocialia pacta
Marchio Tubuccûm clariſſimus ibit in Aulam
Principis Hiſpani: peraget præſcripta, beatæ
Lætitiæ vaga ſigna dabit, Badajocia tecta,
Qui disjungit ager, ſimul atque Elvenſia, planus.
Ut remeet grato Legatus amore, Philippus
Velleris Aurati decorabit torque ſuperbo.
Ipſe erit egregius Sadarum ſplendor, avorum
Gloria, & illuſtri ſervabit nomine fama.
Dum timet Italiæ pars optima damna, ſuperbus
Intentat quæ Turca Dei ſæviſſimus hoſtis,
Conſulet aflictus Clemens mœrore Joannis
Legatum Lyſii, qui pectore ſervat avitæ
In ſuperos Fidei flammas: mox triſtia Patris
Legatus ſcribet Regi mandata ſupremi.
Hæc !eget invictus Lyſiæ Rex: ille gementis
Excipiet pia verba Patris, promptoque levare
Auxilio ſtatuet conceptum corde timorem.
Scilicet ardebunt generoſo in pectore Regis
Et veræ pietatis honos, exemplaque Patrum,
Sanguine qui fuſo Fidei vexilla ſequentur,
Curabuntque prius fines protendere ſacros.
Deferet ergo Tagi Fluvii Comes oſtia Grandis
Aurea, Luſiacæ Præfecti nomine claſſis,
Martia qui diſcet Libycis elementa maniplis,
Maurorumque puer ruet in certamina pugnax.

Solvet ab Occiduo classis sed litore frustra
Lusa, nec optato dabitur gaudere triumpho;
Turcica nam classis gelido correpta pavore
Æquora sulcabit velox, tutamina portûs
Quæret, ut impavidum vitet gens barbara Lusum.
Conceptum rursus renovabit Turca furorem,
Et premet incertum rostratis navibus æquor.
Lysia sed rursus solventur carbasa vento,
Et fato meliore modò: Corcyra videbit
Prima rates, queis pace frui concedet Olympus.
Vela dabunt, quo cincta mari jacet uda Zachinthus,
Humidaque Ægei proscindent ostia Ponti.
Certabunt virtute pari; Vulcania glandes
Infestis agitata ferens cava vulnera pennis
Igniferas tormenta voment, mors atra volabit
Horrida, præruptis resonabit montibus echo,
In partes lacerata feret pila plumbea vela,
Pinea confriget procêri robora mali.
Viribus infractis hostis pugnabit uterque,
Stabit & in dubio belli fortuna cruenti,
At Superis tandem victoria Lusa placebit.
Turcica diffugiet classis tremefacta, superbum
Deponet fastum, portus & quæret amicos.
Hostibus instabit generosus Tavora, maius
Antiquum reddens præclarum nomen avorum.
Illius alta premet vestigia Sousa, frementes
Optabunt sacro finem modo ponere bello.
Irrita vota quidem! Classis velocior Euro

Aufu-

Aufugiet, verretque ſolum pernicibus alis.
Fas erit ut laceræ quærant jam littora naves,
Fauſtaque confirment, volitans quæ fama loquetur.
Ergo Tagi claſſis pleno ſubit oſtia velo;
Plaudit Ulyſſipo tanto ex certamine victrix,
Roma cruentatâ Turcarum clade quieſcit,
Et Luſo grates perſolvit ſedula Regi.
Præbeat ut Clemens jucundi pignus amoris,
Quod fuit ante vetus Regali more Sacellum,
Eriget in Sedem mitrato Præſule dignam.
Primus erit, qui ſacra regat ſpectabilis ille
ALMEIDA, ablatum Durius quem jure vocabit
Flebilis, & cujus celebrabit nomen in ævum.
Ille erit excelſo tituli inſignitus honore,
Fulgebitque novo Patriarchæ nomine primus.
Muneribus gens apta novis Almeida gerendis!
At quantis, Ferrande, novis effulgeat alta
(Aſpice) progenies, genus hoc ad munera natum,
Præſcia quæ ſtatuet vigilum ſapientia Regum.
Conſpice Franciſcum, patrio qui à littore ſolvens
Impiger inquiret teneri incunabula Solis,
Primus ut Eois Prorex dominetur in oris.
Aſpice Garciam, quem primum Academia felix
Rectorem, Patremque colet; modo conſpice Petrum;
Urbis Ulyſſeæ primus reget ille Senatum.
Conſpice nunc, quam fauſta dies! quam læta triumpho,
Tertia poſt decimam lux naſcitur! Ille bifrontem
Menſis erit, Janum ſequitur qui præpete curſu.

Ecce Almeida petet Templum , quo ſanguine fortis
Pro Chriſto effuſo venerabitur ille Sebaſtus ,
Barbara quem rabies ſuperari poſſe ſagittis
Credidit incaſſum , quem Lyſia tota Patronum
Eliget , ut ſacro vitet contagia fulcro.
Adveniet , carpetque viam , ſtipabit euntem
Aurato vectum curru pars optima Regni ,
Magnatum generoſa cohors , populique videndi
Excita Paſtorem ſtudio numeroſa caterva.
Siſtet pompa gradum , ſubitoque Almeida ſuperbo
Deſiliet curru , quâ Lilia ſacra vireſcent ,
Virgineique chori ſponſus celebrabitur ore.
Magdalis illa ſoror defendet nomine Templum ,
Sedula quæ Chriſto convivia lauta paravit.
Hic album conſcendet equum , chlamidemque ſacratam
Induet , à veteri quam Conſiſtoria ſervant
Tempore , & Almeidam venerandum reddet amictus.
Procedet , Portasque petet , quas magnus honore
Nominis ornabit præclaro Antonius Abbas ;
Ille triumphato tenuit qui devia mundo
Victor , & horrificas deluſit Dæmonis iras.
Rurſus pompa gradum ſiſtet clamoſa , videbis
Surgere conſtructam largis hîc ſumptibus aram.
Hîc albo deſcendet equo , deponet amictum ,
Induet egregias Phrygio quas docta labore ,
Prodigâ & impensâ depinget dextera , veſtes.
Infula quam gemmis rutilum diſcriminat aurum ,
Præſulis Almeidæ felicia tempora cinget.

Tandem

Tandem vectus equo niveum referente colorem,
(Fræna reget rubicunda Comes Ludovicus Avintes,
Cui natura dedit germano sanguine THOMAM,
Primus ut in fratrem tenerum demonstret amorem)
Magnifici Pastor quæret sacra limina Templi.
Excipiet medium pretiosa umbella, periti
Fulcra Senatores portabunt celsa, vetustas
Queis leges incumbit onus tutarier Urbis.
Incedet quà longa patet via: compita cernes
Fervere concursu, generosos Martis alumnos
Undique fluctivagum populum compescere, Sacram
Militiam cernes grato circumdare calles
Ordine, composito Clerumque incedere passu.
Stragula conspicies vivis variata figuris
Pendula magnarum muros ornare domorum.
Ex aliis videas pendere tapeta fenestris,
Quæ fulvo decorat subtilis dextra metallo.
Vivat Io! vivat! Populi vox grata sonabit,
Gratior ALMEIDÆ; talis dulcedine cantûs
Gaudia concipiet, nam verbis corda patebunt.
Festivo, crebroque sono campana per aures
Æra ferent plausus, placidum tormenta triumphum
Bellica terrifico referent clamore, brevique
Mulciber accendet funalia lucida flammâ.
Adveniet tandem sacratæ ad limina Sedis
Præsul, & illustri Procerum comitante coronâ
Persolvet grates Cœlorum Regna tenenti:
Turba canora vago læti modulamine cantûs
Conci-

Concinet, & ſolitum cantabit dulciter hymnum.
En ſolium aſcendet rubeo decoratus amictu,
Et chorus ille ſacer curvato poplite, dextræ
Oſcula libabit parentis pignora amoris.
Ille chorus celebrandus erit, qui murice veſtes
Imbuet Aſſyrio, generis quem ſplendor aviti,
Geſtaque Maiorum diſtinguent optima Patrum.
Ille chorus celebrandus erit, cùm viderit Orbis
Romano MOTAM ſacro decorarier oſtro.
Reſpondere ſolent memorandis conſona factis!
Quâ pompâ incedet? Quâ maieſtate? Sequentur
Quot cùrrus auro, rubeoque colore ſuperbi?
Audierint quando populos ê Sede docentem,
Clementem credent, magnumve audire Leonem.
Cura gregis compellet oves inviſere, paſcet
Exemplo, verbiſque vigil, quæ tramite recto
Tendent, errantes in paſcua ſana reducet.
Ædes illa pio Genitrix quam nomine Virgo
Proteget, & Triadis decorabunt Ordinis almi
Stemmata, nempe Cruces glauci, rubeique coloris,
Divino incipiet producere germina Sponſo.
Illa dies veniet Quintilis clara ſecunda,
Quando ſalutavit cognatam Virgo ſenilem
Jam fœtu gravidata ſacro, jam Numine plena,
Relligioſa petent delectæ clauſtra puellæ,
Et tradet Patriarcha novæ nova dogmata vitæ.
Conſpice LANCASTRO (65) regali à ſtirpe JOANNEM,
Quem Martis compellet amor dare vela, remotas

Ut

Ut quærat terras, Princeps ubi nascitur astrum.
Cùm Mombaza gemet forti circumdata vallo,
Suppetias feret ipse novo jam clarus honore,
At lucem extremam fatali funere claudet,
Quà facunda jacet Zanzibar cincta profundo.
Quam longè à Patria mortalia pignora ponet!
Ille JOSEPHUS erit (66) Regalis sanguinis undam
A magno genitore trahet, cognomine SOUSA.
Hic poterat proavos morum splendore vetustûm
Eximios superare sacro: mors atra recurvâ
Rumpet falce metens fugientia stamina vitæ,
Nominis & tanti promissa augmenta negabit.
Quos cernis veteri MENDOÇA agnomine claros (67) (79)
Proferet in lucem geminos domus inclyta (Vallis
Regia) primus erit, felix Academia cultu
Quem colet æterno tanto jucunda magistro.
Munera despiciet meritis illustribus apta,
Pandat ut indoctæ latebrosa oracula turbæ.
Incæptum at gaudens Egitania rumpere coget
Consilium, nam læta novo Pastore tumescet.
Sedulus at Præsul longinqua ad limina tendet
Principum Apostolici, sanctique per omnia Cœtûs.
Quo Romana petet, regnabit tempore Clemens,
Mœnia, qui teneri documenta ut promat amoris,
Augusto faciet, solioque assidere sacro.
Alter erit notus præclaro agnomine MOURA,
Munere quem celebris venerabitur Ebora sacro.
Regna quibus croceum linquit rubicunda cubile

Tithoni

Tithoni conjux, Almeida potentia quæret. (68)
Multa hic argumenta dabit virtutis avitæ,
Maiorique premet Laurentius æquora classe.
Legitimo at postquam sociarit fœdere sponsam,
Stemmate quæ proavos generis sortitur eosdem,
Optatas iterùm queis Sol occumbit ad oras
Accedet; sed tanta Viro prudentia, tanta
Dexteritas, regat ut Pernambucania castra,
Prætereaque auri regat incunabula fulvi.
Inspice quam rapido Sousam (69) mors demetat ictu
Progenitum claro Sylveira è sanguine? Quanta
Munera, si fatis placuisset, solus obiret?
At Cruce signatum juvenis reget ipse Tribunal.
Carneiro, (70) Sales, (86) Noronha (75) que mu
nere magno
Insignes, maioris erunt sacra lumina Templi.
Almada de gente satus venit ille Joannes, (71)
Muneribus non fata sinent ditarier altis.
Ardua cerne duos proceræ germina stirpis,
Sylvius ille prior Rodericus Mello, (72) paterna
Ne domus intereat, Comitisque fruatur honore,
Deliget egregiam solemni fœdere sponsam.
Inclyta sed moriens pietatis signa relinquet,
Dicere quæ poterit succensâ lampade Paulus.
Alter at Emmanuel (74) Martis certamina quæret.
Quatuor advenient celebri cognomine noti,
Et pace, & bello, soboles generosa (virentem
Alter (73) Brasiliam quæret, socialia vincla

Ut

Ut ſubeat, ſed vincla diem ærumnoſa reſolvent
Extremum; rapidis alter mergetur in undis: (84)
Bellica, qui reſtant, (83) (85) Martis vexilla ſequentur.
En geminum profert ſtirps VASCONCELLIA ramum, (76) (100)
DIDACUS ardenti decedit flore juventæ.
En ALPHONSUS (77) adeſt, RODERICUS, (80) uterque NORONHA,
Sanguine progeniti Regum, quos Bætica tellus
Prona colet, Regnique tui committet habenas.
Provida cura ſacro quæ temperat omnia nutu,
Deſtinat Alphonſum, tenuatum ut ſuſcitet altum
Germen, ab Auguſto deducens ſtemma Joanne:
Alter, & abſimilem non ſperat tempore ſortem.
CAMARA conſurget duplex (78) (96) propagine ductâ
A primo, nemoroſam illam qui deteget Orbi
Materiam, & magna faciet ſe prole parentem.
Unus erit, tenebroſa ſacri qui oracula juris
Pandet, ut indoctis pateant quæ occulta latebant.
Belgica cùm videant Henricum ſtagna peremptum;
Regia quem decorat Caſtellæ ſanguinis unda,
Ut genus, & nomen, proavosque extendat in ævum,
Germano ſponſam prognatam è ſanguine ducet
Primus, (81) & impavidus quæret ferà bella ſecundus. (82)
En ſurget MENDOÇA pius, (87) qui cautus honores
Effugiens, ſecli vanam ſpem proteret, æquum
Diliget, & cœli divino concitus igne
Ardua Franciſci veſtigia pone ſequetur.

Aſpice quàm claro, veterique è ſanguine ducat
Gens ALMEIDA genus: (88) (89) (91) deductum agno.
men ab ævo
Antiquo decorabit avos, decorabit & arma,
Queis bello eximii famâ ſuper aſtra volabunt,
Ne dubites; attende precor mihi vera loquenti.
Conſule primorum felicia ſecula Regum,
Luſa regent qui Regna pio moderamine, cernes
Quanta viros ornent Almeidas munera; magnum
Cerne Lupum, Alphonſi quem Regia dextera Quinti
Egregio Comitis decore illuſtrabit Abrantes.
Non alios celebret, celebret vaga fama triumphos,
Vocibus altiſonis, dignâ & cum laude Jacobum
Extollat generis decus immortale vetuſti.
En bello, quo fuſa cadent Mauruſia caſtra,
Bellica cuique aderit Luſi præſentia Regis,
Ipſe Jacobus erit tantæ pars optima palmæ.
Aurum qui neſcit, pretium non æſtimat auri:
Non ita bellipotens Lyſiæ moderator (aduſta
Africa cui nomen dabit, & devicta coronam)
Nam bellatorem prudenti mente Jacobum
Eliget, ut plures ferat uno in milite turmas.
Teſtis ſit Tingis, teſtisque Arzilla, fluenta
Fundet ubi Lybici fido mucrone cruoris.
Nave Ligur celeri ſulcabit marmore prædo,
Terrorem incutiet gelidum qui cæde cruentâ,
Sanguine vel fuſo; metuendi nominis horror
Corda premet, triſtis pallor maculabit & ora.

Jamius

Jamius en aderit soboles truculenta Gradivi:
Et Ligur, & Lusus dubia in certamina fortes
Ambo ruent, amboque volent sua tempora lauro
Cingere frondenti, dextram & distinguere palmâ.
Gloria Lusiadum tanto celebrata triumpho
Ut vivat, possitque hostis persolvere pœnas,
Præda Ligur prædator erit violenta Jacobi.
Attamen ut constet quanto sit parta labore
Palma triumphalis, pulchro pulcherrima vultu
Vulnera servabit, decoris monumenta cruenti.
Audiet hæc Romæ Summus Pater Urbis, & Orbis,
Conferat ut tantæ virtuti præmia, Romam
Ipse vocat, dignis extollit vocibus, alto
Oscula libabit pedibus cumulatus honore.
Quâ jacet illa vago Solis memoranda Colosso
Insula, quam Christi vetus, & sævissimus hostis
Turca premet, minitans cædem, juga barbara, mortem,
Advertet proram; magno victoria restat
Nulla viro, nam classe fugit qui cinxerat Urbem
Milite, conceptum simulans sub corde furorem.
Mittitur intereà validà cum classe Jacobus,
Ut ferat invictus Turcis fatalia damna,
Et jugulet ferro, quos non consumpserit igne.
Vela dabit promptus, velox data jussa capescet,
Anxius optati quæret certamina belli:
Dum tamen ardenti combusserit omnia flammâ,
Nominis & clari terrore fugaverit hostes,
Conspiciet navem plenis quæ concita velis

Sulcat iter liquidum, ſpumans & dividit æquor.
Explicat ad pugnam vexilla volantia puppi
Turca ferox, ornat vacuo quæ Cinthia gyro.
Impatiens pugnæ ſignum Ferrandius atræ
Erigit, & vento fluitat Crux alba Joannis.
Vulnificas ſubito vomit ignea machina glandes;
Applicat ad navem Martis fervore Jacobus
Correptus, ſed quanta viro diſcrimina! Ponto
Bis cadit armatus, ponto bis dextera crine
Extrahit, & ſalvus neſcit fera damna pericli.
Quæ manus illa fuit, quæ te miſerata jacentem
Reddidit incolumem? Vetuit ſubmergier undis?
Quæ pietas? Quæ dira Atropos ſtridentia fregit
Spicula? Quæ vitam plures ſervavit in annos?
Numinis illa potens, quæ ſuaviter omnia curâ
Dirigit, Heroem meliora in tempora ſervat.
Quantus erit, rutilus vitam cui ſervat Olympus?
Pectora comburet ſimilis Mavortius ardor
Sanguinis illorum clari qui jure nepotes
Et proavos referent, & bellica facta ſequentur.
Inſpice quærentes Auroræ ſceptra rubentis
Almeidam ternum, fuſo qui ſanguine carâ
Pro Patriâ pugnant, quorum duo morte cruentâ
Concedunt fatis celebrati ad mœnia Dii.
Alter, honos, generiſque decus, nova gloria Petrus
Facta ſequens generoſa Virûm, quos fama coronat,
Laude triumphali memorabile nomen ab Indis
Solis ad occaſum fulgentibus invehet aſtris.

Victor

Victor ubique petens patrias quas diliget oras,
Primus erit Præses, leges, quam condidit, urbis,
Ithacus, & mores faciet servare modestos.
Tempore quo Lysiæ usurparit Regna Philippus,
Ille fugam capiet Princeps Antonius, Anglûm
Quæret opem, classem, socialia quæret & arma.
Anglica perveniet tandem Mavortia classis,
Urbis & insignis testacea mœnia durâ
Obsidione premet, valido tormenta fragore
Effundent glandes, quæ sunt necis impia diræ
Instrumenta: Petrus se partes vertit in omnes,
Civibus auxilium præstans, damna hostibus, uno
Pendet ab Almeida felix namque exitus urbis.
Infectâ re classis abit, cita carbasa vento
Solvit, & Almeidam lauro circumdat ovanti:
Facta nepos absolvet avi; Petrus æquor arabit,
Ut petat augustam Proregis nomine Goam.
Digna Petro faciet, minus haud Almeida patrabit
Digna, sed inconstans fati vis esse beatum
Non sinet, & casus patietur damna severi.
Filius à teneris assuescet bella Joannes
Dura movere, Patrem puer affectabitur, Indos
Inviset, Solisque rubra incunabula cernet.
Vix iterùm quæret natalia sedulus arva,
Allobrogum cùm classe petet, qui temperat urbes,
Jungat ut Elisabeth socio sibi fœdere Sponsam,
Quæ Lysii restat veteris spes unica Regni.
Fatâ viam invenient, quæ non scrutabilis alto

Ingenio

Ingenio solet esse hominum, quæ pacta resolvet
Fœdera, nam Regum procedet stemma priorum.
Ut regat Hispanos, appellet Carolus urbem,
Quam Tagus aurifero velox præterfluit imbre,
Cæsarum & Augusto prognatus sanguine: Lusis
Oris non adytus, facilis non porta patebit:
Carolus impatiens Catalonia prata requiret,
Divitis atque Tagi tranquilla per ostia tendet,
Quò fortuna vocat, ducunt quò fata, fidelis
Munere Legati Comes Assumarius ibit.
Martis opus, bellis aderit, certamina dura
Diriget, & vigilem celebrabit fama per Orbem.
Carolus at postquam compertâ morte Josephi,
Quem fratrem natura dedit, Germanica tecta
Quæsierit, Lusas iterùm remeabit ad arces.
Illius en surget triplex doctissima proles:
Agnosces merito vasti tria fulmina juris,
Abdita seu videas pandentes ordine legum,
Seu videas facili conscripta volumina dextrâ.
Primus Ulixbonæ (88) documenta tuebitur almæ
Isacidas Fidei contra: Collimbria cernet
Dogmata doctrinâ Fidei inconcussa secundi. (89)
Ambo sic notos sacrata scientia reddet,
Eligat ut socios Academia Regia doctos.
Tertius eximio fungetur munere sacro (91)
Ad maiora quidem robustior evehet ætas.
Ille triumphato qui deferet omnia mundo,
CUNHA (90) erit antiquâ sobole Povolide creatus.

Blandi-

Blanditias spernet, fallacia dona relinquet,
Præsulis Aureli quæret Collimbria Claustra.
Unus, & alter erunt Lusæ pars nobilis Aulæ,
Vitali queis luce frui dabit inclyta origo,
Sylveira imponet cognomen, SOUSA coronam.
Teutonicam EMMANUEL (92) fidus reget ille cohortem,
Inclyta sed magnum LUDOVICUM (93) munera reddent.
Conspicies generis geminatum germen Avintes,
Doctrinæ sacræ reddent documenta JOANNEM (94)
Egregium, & THOMAM (95) divina Scientia magnum.
XAVIER (97) en aderit TELLESIUS ille, vetustâ
Progenitus de gente Vagos, cui Sylvia clarum
Indidit agnomen Regalis Purpura Regum.
Magnus erit genitor pietatis munere, maior
Si videas quod dives opum sit prodigus æris:
Mente senex, juvenisque annis Algarbica prudens
Regna gubernabit populorum laude beatus.
Jacobi prolem Divi nunc aspice ternam (98)(101)(102)
Illustrem Comitis, quæ grandia facta patrabit
Palladis ingenio, studiisque exculta sacratis.
CAROLUS (96) egregiâ prognatus gente, remota
Insula quam claro Comitum decorabit honore
Principis, ut fratrem Libitinæ vulnere cæsum
Substituat, breviter doctissima castra Minervæ
Deseret, & Martis durissima castra sequetur.
Dicere plura volet, subitò sed mersus in undis
Ostia Monda petit, queis solvit grata tributa
Oceano, qui sceptra tenet spumosus aquarum.

Evigi-

Evigilat Princeps; curarum nulla fatigat
Turba, nec afflictam reddunt phantaſmata mentem
Horrida, nec belli perturbant corda tumultus,
Sed ſubit illuſtris rerum, quas vidit, imago.
Ergo hilares noſcens Regali in pectore motus,
Et gaudens rupiſſe jugum, quo barbarus urbem
Preſſerat inſignem, & veteri ſpoliarat honore:
Lætitiæ argumenta volens dare proſpera cunctis,
Eventusque urbis cupiens aperire futuros,
Magnatumque, Ducumque vagâ cingente coronâ
Sic ait, & tales profundit ab ore loquellas.
Grata Deo referam, referam quoque Principe digna:
Grata Deo virtus purgari Templa; ſceleſta
Queis idola viri, ſpreto Cacodæmonis aſtu
Numine, curvato venerantur poplite: gratum
Quis neget eſſe Deo candori reddere priſco
Quæ delubra olim macularat Mauricus error,
Ut ſacro divina coli queat Hoſtia thure?
Principe digna puto miſeris afferre ſalutem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos,
Subdita ne forſan tollentes corda tumeſcant.
Hiſpano ſed plura (reor) ſunt Principe digna,
Cura premit maior, moderantes vexat Iberos
Altera cura, alios quæ non ſolet angere Reges.
Scilicet ille Gothi ſceleratus nominis hoſtis
Perderet ut Regnum Romanis cladibus auctum
Conduxit cogente odio Mauruſia caſtra.
Quanta jacent belli rapidis tumulata ruinis

Oppida


Oppida quanta jugo misero constricta laborant?
Quantus adhuc sanguis vindictam poscit inultus?
Hæc ego damna quidem teneor reparare, decorem
Reddere primævum, & nomen renovare vetustum.
Illum cura premit Solio qui regnat Ibero
Vincula Maurorum durissima solvere, campos
Sternere, seu potiùs fœdare cadavere multo,
Sanguineque hostili fluviorum tingere fluctus.
Ergo Regnantum generosa secutus avorum
Exempla, & factis cupiens æquare cruenta
Prælia, quæ lauro cinxerunt tempora gratâ,
Vidistis quàm dura pati, quàm me aspera bello
Ferre coegerunt Collimbria mœnia? Testor,
Vos testor, vestrosque animos, & vulnera vestra:
Testor & egregiâ fatis qui morte sinistris
Concessere, Fidem testantes sanguine fuso
In cœlum, Regemque simul: me corpora cæsa
Nobilitant, cœlumque illustrat spiritus altum.
Hoc iter aggressus statui protendere fines
Imperii, raptisque Arabas depellere terris.
Sic placitum Superis. Captivæ solvimus urbis
Vincula, queis Maurus miserandæ colla premebat,
Et Templa impleri gaudemus Numine vero.
Est hæc victori communis gloria; maior
Captâ adventat ab urbe mihi victoria, namque
Urbs erit hæc (duris Arabum relevata catenis)
Regia Lusiadum Regum clarissima; cunas
Regibus illa dabit septem, pia busta duobus:

Gestiet Elisabeth spoliis & læta sacratis.
Insuper hîc celebrem figet Sapientia sedem,
Utilis hîc surget populis Academia Lusis,
Hûc venient haurire novæ gens Lusa fluenta
Doctrinæ, laticesque fluent, qui flumine largo
Ignaros poterunt confestim reddere doctos.
Fixerit at postquam sedem facunda Minerva,
Quanta hîc conspicio Collegia surgere, Regum
Lusiadum fundata manu, ditatave censu!
Multa quidem video; video consurgere Petri
Conventum, quem magna Virûm Sapientia clarum,
Munera conspicuum facient, splendorque togatus.
Nunc maius consurgit opus; memorata recedant,
Atque premant alios taciturna silentia Cœtus.
En Lusa exsurget Paulino Academia solo
Conventu, superat reliquos nam Paulus, honores
Cernite magnificos, fontes & cernite, Regnum
Nobile queis Lysiæ Paulus fæcundat, amænos.
Cerno virum, quo pura Fides florescet, & acri
Vindice gaudebit, decoratum murice sacro.
Quantos inspicio, quos munera magna coronant?
Tempora quàm multis venerabilis Infula cingit!
Inspicio quantos rapidi Mavortis alumnos,
Impavidosque Duces, & sævi fulmina belli!
Magnorum hîc video turbam florere nepotum,
Pallade quos facio pluris, quàm sanguine claros;
Omnia nam superat solers Sapientia, terram
Diligit ignarus, doctus dominatur at astris.

Cerno

Cerno alios, ambit quos pulchra corona Magistros,
Arbitria & qui docta sciunt proferre Senatu.
Regna petent alii Legati munere, Lusum
Et decus, & nomen tollent super astra, volabunt
In partes alii, queis Phœbus surgit ab undis,
Quàque Orbis fuerit, radiabunt lumina Pauli.
Credite, non fallor, rursus mihi vera loquenti
Credite; cæcus erit Solem qui comparet astris,
Sydera nam Phœbus superat fulgore corusca.
Haud secus eximiam Pauli æquiparare coronam
Error erit, mentis prodet qui signa furentis.
Si capitis gaudent Academica Claustra figurâ,
Cœtus erit cerebrum decorat quem nomine Paulus;
Lucida, si vultûs, Pauli sunt lumina Cœtus,
Corporis est Pauli Conventus spiritus almus.
Clara viget Pauli numeroso Academia Cœtu,
Spiritus intus agit, spiratque per omnia Pauli.
Audeat at nemo magno se opponere Paulo,
Dextera vibrabit gladium, premet alta furorem
Maiestas, animos in fervida bella ruentes
Comprimet, audaces invicto demetet ense.
Pervigil illa Dei, quæ temperat omnia, cura
Hæc mihi jucundo dum somno membra levarem,
Pandit, ut illustris lætarer laude triumphi,
Qui me laudandum venturo tempore reddet,
Evenient promissa urbi cùm grata potenti.
Nobilis illa Ducum, Procerumque corona loquentem
Audiit Hesperiæ moderantem Regna feracis.

Rex vivat Ferrandus, ait, tua gloria ſerum
Neſciat occaſum, volitet ſuper æthera fama
Nominis invicti, reſonet memorabile factum;
Auſpiciis quæſita tuis urbs vivat, & armis,
Et caput inſignis circumdet laurea Regis,
Quæ vaga Ferrandi virtutem detegat Orbi.
Ergo pio rurſus promit de pectore grates
Rex Ferrandus: opem lacrymosâ voce precatur
Numinis, ut dextrâ florentem protegat urbem.
Regia jam recipit Ferrandum clara, ſuperbum
Exuviis, fuſo decoratum & ſanguine Maurûm.
Spiritus at breviter rutilum conſcendit Olympum,
Ultima quippe dedit virtutis ſigna, feroces
Cùm domuit Mauros, rapuitque ex hoſtibus urbem.
Non poterat maiora ſequi: Collimbrica tecta,
Cœtus, & egregius, quondam tibi, Paule, ſacrandus
Sunt, ultra quas fata vetant procedere, metæ.



NOTI-

NOTITIA SODALIUM, QUORUM FIT MENTIO IN ARCHIATHENÆO LUSITANO.

(1)



Rias da Sylva, Regalis Collegii, simulque Academiæ Rector, Episcopus Portuensis, dùm in fatali prælio Alcaceriensi rem tormentariam recuperare nititur, infelicissimè occubuit. Scripsit:

Pratica a ElRey D. Sebastiaõ sobre o Cometa de 1577. M. S.

(2)

Ignatius Dias, Canonicus Magistralis Sedis Collimbriensis.

(3)

D. Alphonsus de Castellobranco, Canonicus Collimbriensis, Tribunalis Conscientiæ, & Trium Militarium Ordinum, & Inquisitionis Ulyssipponensis Conciliarius, Bullæ Cruciatæ Commissarius Generalis, Eleemosinarius, & Sacrificulus Maximus Serenissimi Cardinalis Henrici, Episcopus Algarbiensis, cujus tempore Sedes Episcopalis à Civitate Silvensi translata est ad Farensem, Episcopus postea Collimbriensis, Proregis titulo Lusitaniæ præfuit, & Archiepiscopus Eborensis designatus. Testamento legavit triginta millia aureorum ad futuram Elisabethæ Portugalliæ Reginæ Apotheosim: Cardinali Cæsari Baronio ad editionem Annalium Ecclesiasticorum viginti millia aureorum dono dedit: annuos reddirus instituit ad resarciendas vias Collimbriensis Urbis; & ad levandam miserorum pauperiem plusquam quingenta aureorum millia erogavit; quapropter etiam nunc audit Episcopus Eleemosinarius. Sumptu magnifico extruxit Colimbriæ Cœnobium Virginum sub titulo Divæ Annæ, ad cujus maioris Sacelli lævam dormit in extremum diem. Edidit:

Sermaõ

Sermaõ do Auto da Fé, quem è Lusitano Latinum fecit Franciscus Fernandes Galvaõ, & evulgavit Romæ ex Typographia Tini, & Pauli de Dianis hoc titulo: *Celebris Concio in publico Sanctæ Inquisitionis Actu Conimbricæ habita ab Illustrissimo D. D. Alphonso à Castelbranco ejusdem Civitatis Episcopo Reverendissimo, Arganili Comite*, in quarto.

Sermaõ na Collocaçaõ das Reliquias. Hanc Concionem invenies in libro, cui titulus: *Relaçaõ do solemne recebimento das Santas Reliquias, que foraõ levadas da Sé de Coimbra ao Real Mosteiro de Santa Cruz de Coimbra.* Coimbra por Antonio de Mariz, 1596. in octavo, à pag. 57. ad pag. 76.

Sermões M. S. qui asservantur in Tabulario Collegii Collimbriensis Societatis Jesu, scilicet, primus *de Sancto Francisco*; secundus *de Dominica prima Quadragesimæ*; tertius *de Nativitate B. Virginis*; quartus, quintus anno 1602. & sextus *de Purificatione B. Virginis*, anno 1603. & ex ipso constat illam esse nonam Concionem, quam in eadem solemnitate habuit in sua Sede Episcopali.

Constituições de Coimbra. Coimbra por Antonio de Mariz, 1591. in fol.

(4)

Laurentius Mouraõ Homem, Sacrorum Canonum Doctor, Senator Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Collimbriensis Inquisitionis, & Tribunalis Conscientiæ, Militariumque Ordinum Conciliarius, à Conciliis Regis, qui cum Cardinali Alberto Lusitaniæ Gubernatori Conciliarium adesse jussit. Condidit Lameci Monasterium Sanctæ Crucis Canonicorum Secularium Sancti Joannis Euangelistæ, ubi jacet. Scripsit:

Da Jurisdicçaõ secular d'ElRey, que se encontra com a Jurisdicçaõ Ecclesiastica. Volumen Latinum.

Do Padroado, e Appresentações Regulares para Beneficios da sua appresentaçaõ. Volumen in folio.

Determinações de Direito, e Concelhos sobre casos, que os Governadores consultavaõ com elle. Volumen Latinum.

Parecer em Direito sobre os Poderes do Conservador Apostolico de Salamanca em respeito da Jurisdicçaõ d'ElRey.

Dous Pareceres muito doutos, e grandes, hum em Latim, outro em Portuguez sobre a Vigairaria da Sella dos Coutos de Alcobaça, se a podia prover o Arcebispo, ou o Legado, vagando em mez reservado, os quaes fez por mandado do Cardeal Alberto.

Hum parecer douto, provando, que podem usar os Geraes de Santa Cruz de Mitra, e fazer Pontificaes.

(5)

Rodericus de Sousa, in jure Pontificio Doctor, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Portuensisque Prætori Cancellarius, & Militiæ Christi Eques.

(6)

Rodericus Brandaõ, Sacrorum Canonum Doctor, Eques Militiæ Christi, Senator Domûs Supplicationis.

(7)

Rodericus Ayres Monteiro, aliàs, Cordovil, Baccalaureus Canonum, Egitaniensis, & Ulyssipponensis Sedis Canonicus Magistralis, Ulyssipponensis Inquisitionis, & Tribunalis Conscientiæ, Militariumque Ordinum Conciliarius.

Anto-

(8)

Antonius Çallema, Legum Doctor, & Professor, Senator Domûs Supplicationis, Fluvii Januarii Præfectus, postquam Pernambucum adierat jussu Sebastiani Regis ad inquirendum in quorumdam scelera. Scripsit:

Tratado da Conquista, que fez do Cabo Frio contra os Francezes, e o Gentio Tamoia, que nelle estavaõ fortificados, M. S.

(9)

Antonius de Castilho, in Legibus Licentiatus, Avisiensis Militiæ Eques, Regio Cartophylacio (*Torre do Tombo* vocant) Præpositus, Chronologus Regius, & Conciliarius, Moræ Præfectus, & Commendator, & Londini Legatus. Edidit:

Commentario do Cerco de Goa, e Chaul no anno de 1570. Ulyssippone apud Antonium Gonçalves, 1573. octavo.

Fragmentos das Chronicas dos Reys D. Joaõ o III. e D. Sebastiaõ; quæ quidem fragmenta in Hispaniam asportata adhuc desiderantur.

Elogio delRey D. Joaõ o III. quod editum est in libro, cui titulus *Noticias de Portugal*, authore Emmanuele Severim de Faria, excusso Ulyssippone in Officina Cracsbeeckiana, 1655. fol.

(10)

Emmanuel Cardim, Medicus, Eques Militiæ Christi, Protochirurgus.

(11)

Georgius do Amaral, Juris Cæsarei Doctor, & Professor, Domûs Supplicationis Senator, & rerum Criminalium Prætor.

(12)

Bartholomæus da Fonseca, Canonum Doctor, Tribunalis Fidei Goani Inquisitor, & Visitator, postea Ulyssiponensis, & Collimbriensis, & ibi Canonicus Doctoralis, supremi tandem Fidei Tribunalis Conciliarius, Tribunalis Conscientiæ, & Militarium Ordinum Conciliarius, Collimbriam profectus est, ut negotia ad Fidem spectantia faciliùs expediret.

(13)

Petrus da Fonseca, in Sacra Theologia Baccalaureus, Præsul Paræciæ, de cujus nomine minimè constat.

(14)

Emmanuel Borges, Canonum Doctor, & Professor, obiit adhuc Sodalis.

(15)

Ferrandus Rodrigues Cardoso, in Medicina Doctor, post minores Cathedras, Avicenæ Professor, & Vesperarius Antecessor, & Lusitaniæ Archiater. Edidit:

Methodus medendi summâ facilitate, & diligentiâ. Venetiis apud Vincentium Sommasco, 1618 quarto.

De sex rebus non naturalibus, &c. Francofurti, 1620. octavo.

(16)

Bartholomæus Leitaõ, Theologiæ Doctor, & Insularum Capitis Viridis Episcopus.

(17)

Hieronymus Vieira, Canonum Licentiatus, Eques Militiæ Christi, Senator

nator Domûs Supplicationis, & Ulyssipponensis Ædilis.

(18)

Andreas Pires, Medicus Excellentissimi Principis Domini D. Theotonii de Bragança, Antistitis Eborensis.

(19)

Franciscus Nogueira, in Jure Cæsareo Baccalaureus, Eques Militiæ Christi, Portuensis Senator, & Domûs Supplicationis, mox Portuensis Prætorii Cancellarius, Regii Portugalliæ Concilii apud Matritum à Sanctioribus Conciliis, & Senator Palatinus.

(20)

Lupus de Barros, Legum Doctor, & Professor, Senator Palatinus, & Christi Militiæ Eques.

(21)

Antonius de Freitas, in Pontificio Jure Baccalaureus, immaturo fato concessit.

(22)

Antonius de Barros, Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor, adhuc Sodalis lucem vidit extremam.

(23)

Didacus Nunes Figueira, in Sacra Theologia Baccalaureus, Eborensis Sedis Canonicus, & Thesaurarius Maximus, in eademque Urbe Inquisitionis Conciliarius, respuit oblatas Infulas Chinæ, Japoniæ, Angræ, & Præsulatum Avisensem: semel, & iterùm Excellentissimi Principis Domini D. Theotonii Eborensis Archiepiscopi vicefunctus: Sacris abdicatis muneribus, in Myrtilim, (illius natale solum) se contulit, ubi Divo Francisco Monasterium condidit. Ligatæ orationis laude in primis floruit. Scripsit:

Paraphrasis poetica in Canticum Canticorum, cujus initium est:

Expectata diu, longos dilata per annos
Oscula jam sponsæ da mihi sponse tuæ.
Namque soporiferi tua si mihi flumen amorum
Ubera manarint, me mihi subripient
Longe aliter, quàm sæpe solent fragrantia vino
Pocula potores pellere mente suos:
Vilescit mihi pone tuos odor omnis odores;
Tu mihi solus olc, qui bene semper oles.

Definit:

I dilecte, fugam velox rape, capreæ quali
Fertur ad infestos terrificata canes:
Ceu soboles cervina recens sed dura timore,
Quæ cum matre fugam præripiente fugit;
Janque ad odoriferos, siluosa cubilia, montes
Scandit, & effugium quærit anhela suum;
Sic pedibus, dilecte, tuis amor inferat alas,
Te mihi jam reditu, me tibi redde tuo.

Huic operi addidit *Commentarium poeticum in aliquot Cantici Canticorum sententias* diverso Epigrammate: quibus operibus adjecit quasi *Cantici Canticorum Corollarium* aliud, cui titulus:

Zephyrus de divino amore, incipit:

Castalii procul hinc, Veteres deliria, fontis,
Ardua Parnassi culmina, Cyrrha procul.
Exulet, aut stygio potius tumuletur in antro
Musa impura, sonet nil leve, turpe nihil.

Purum

Purum purus amor linguæ, cordisque ministrum
Poscit, & absurdis læditur alloquiis.
Definit:
Vivite felices, æternùm vivite quotquot
Divinus faustâ sorte beavit amor:
Vos sitit ille Deus, vobis sitiendus, & ille
Qui satis humanis cordibus unus erit.
Vos, ut ametur, amat, vobis ut amatus amoris
Præmia det, faciem nosse, & amare suam.

Ludovicus da Sylva de Brito in laudem Authoris scripsit Odem, cujus partem legere non gravabitur Lector, ex illa namque constant Didaci nostri res gestæ:

O semper almis urbibus altior
Cælumque prensans Julia Myrtilis,
Quem cernis excellens alumnum
Quam decorat meritis parentem!
Hic ille sacræ qui Theologiæ
Quæ regnat inter rara scientias
Exhausit undarum fluenta
Ah! nimium sitibundus ore.
Hebræa solers ille volumina,
Et Græca suevit volvere dextra,
Hic sensa divinûm librorum
Ingenio reserat polito.
Ast ante Regum clara Sodalitas
Illum recepit pulchra Conimbrica
Cui Paulus insignes honores
Ipse suo tribuisse gaudet.
Ast inde poscens hunc Theotonius
(Heu! corde semper quem prosequor gravi
Extinctum) ut acrem mente vidit
Pectoris huic tribuit secreta.
Collata parvo tempore dignitas
Non Eborensis parva Comitii
Deinde pingue, & amplum secundi
Munus adit renuente dextra.
Absente totam Præsule machinam
Templi Eborensis sustinuit libens
Athlantis ut quondam gementis
Sumpsit onus Diomedis ultor.
Hæc clara verum quod sequitur magis
Clarescit, illum quod nihil impedit
Quin in remotâ orâ locatus
Divitias fugiat superbas.
Illum in remotis prob! quoties plagis
Quæsivit ardens gloria, Principe
Hispaniarum ter vocante,
Ter repulit tria jussa prudens.
Non otiosus jussa parum facit,
Languescat uti, aut torpeat, & malo
Devictus à tergo veterno
Laxa sinat licuisse membra.
Hic doctus intrat sed penetralia
Abstrusa sacrûm mille voluminum,
Cunctis ut ignaris patescant
Luce sua superûm nitores.
Hinc ergo prompsit lucida Cantica;
Veramque Amoris reddit imaginem
Divini, & occultum tot annos
Jam nitidis radiis coruscat.

Parabat *de Regimine Episcoporum*; sed morte præventus non absolvit.

(24)

Lupus Soares de Albergaria, in Sacra Theologia Magister, Cantor Maximus Sedis Visensis, Tribunalis Conscientiæ, & Ordinum Militarium Conciliarius, Inquisitor Eborensis, Regiæ Capellæ Decanus, & Portalegrensis Episcopus designatus.

(25)

Emmanuel Alvares Tavares, Sacrorum Canonum Licentiatus, Decanus Visensis, Inquisitionis Eborensis Conciliarius, dein Ulyssipponensis, & tandem supremi Fidei Tribunalis Conciliarius.

(26)

Rodericus Coelho, Medicus, & ejusdem Facultatis Professor.

(27)

Joannes Rodrigues de Vasconcellos, primum Convictor, & postea Sodalis, Doctor Theologus, Præsul *da Lousãa*, infelicissimas Serenissimi Domini D. Antonii Prioris *do Crato* partes sequutus, in vinculis occubuit.

(28)

Antonius Mousinho de Castellobranco, Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor, Sedis Collimbriensis Canonicus Magistralis.

(29)

Georgius de Cabedo, Juris Cæsarei Doctor, Christi Militiæ Eques, & Commendator, Regii Tabularii Præfectus, Prætorii Ulyssipponensis Cancellarius, Senator Palatinus, & rerum bello, paceque agendarum in Portugallia apud Matritum à Sanctioribus Conciliis, & Secretis. Edidit:

Practicarum Observationum, sive Decisionum pars prima. Ulyssippone, 1602. fol. Offenbachii, 1610. fol. Antuerpiæ, 1620. fol. Francofurti, 1646. fol.

Decisionum pars secunda, in qua de Donationibus Regiis circa jurisdictionalia, & jura Regalia tractatur. Ulyssippone, 1604. fol. &c.

De Patronatibus Ecclesiarum Regiæ Coronæ Regni Lusitaniæ. Ulyssippone, 1603. in quarto.

(30)

Franciscus Pereira do Lago, Legum Doctor, Vesperarius Moderator, Senatorium munus in Domo Supplicationis quandoque oblatum, & recusatum gessit tandem justis de causis.

(31)

Vascus Ribeiro de Castellobranco, Licentiatus in Jure Cæsareo, & Professor, Senator Domûs Supplicationis, & Arcis Redondensis Oppidi Præfectus.

(32)

Franciscus Botelho de Proença, in Medicina Doctor, & Professor Vesperarius.

(33)

Petrus de Olivença, Pontificii Juris Licentiatus, Canonicus Collimbriensis, Tribunalis Conscientiæ, & Militarium Ordinum Conciliarius.

(34)

Gundisalvus Mendes de Vasconcellos e Cabedo, in Sacris Canonibus Baccalaureus, & Professor, Eborensis Ecclesiæ Canonicus Doctoralis, & in eadem Urbe Inquisitionis Conciliarius, Senator Domûs Supplicationis, & Gravaminum, apud Romam Portugalliæ negotiorum Actor, & utriusque Signaturæ Referendarius. Edidit:

Diversorum Juris argumentorum libri tres. Romæ apud Dominicum Bassam, 1596. in octavo. Simulque:

Tractatus de Sententiis Inquisitionis.

Diversorum Juris argumentorum liber quartus. Romæ apud Gulielmum Facciottum, 1598 in octavo, pag. 198.

Novis curis edidit: *De Antiquitatibus Lusitaniæ libri quatuor à L. Andrea Resendio inchoati, à Jacobo Mendes de Vasconcellos absoluti: & quintus liber de Municipii Eborensis antiquitate ab eodem conscriptus. Cum aliis Opusculis, versibus, & solutâ oratione ab eodem Jacobo Mendes de Vasconcellos, Michaele Cabedio, & Antonio*

tonio Cabedio elaboratis. Quæ omnia collegit, emendavit, ac Typis summâ industria commisit Doctor Gundisalvus Mendes de Vasconcellos, & Cabedo Lusitanus. Romæ apud Bernardum Basam, 1597. octavo.

(35)

Didacus da Fonseca, in Jure Pontificio Baccalaureus, obiit immature.

(36)

Balthasar de Azeredo, Medicinæ Primarius Antecessor, & Portugalliæ Archiater, & Christi Militiæ Eques. Scripsit:

Concordancia das Questões Filosoficas, e Medicas.

Quatuor volumina Medicinæ.

Funebris Oratio in sacris funeribus Philippi Secundi Regis Catholici, Conimbricæ habita in Regio Ara lenii Cœnobio, quinta die Novembris, 1598. Quæ legitur ad calcem libri, cui titulus: *Relação das Exequias d'ElRey D. Filippe nosso Senhor, primeiro deste nome dos Reys de Portugal.* Ulyssipone apud Petrum Craesbeeck, 1600. in quarto.

Commentarium in primum de Causis Symptomatum. M. S.

In lib. tertium de Simplicium Medicamentorum facultatibus. M. S.

(37)

Ignatius Ferreira Leitaõ, militari ardore correptus, paterna è domo clam discedens, Ulyssiponem petiit, sed avunculi curâ diligenter inquisitus, in patriam iterum, licèt invitus, se retulit. Doctoralem lauream in Jure Cæsareo consecutus, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Tribunalis Conscientiæ, Militariumque Ordinum Conciliarius, Divi Jacobi Eques, & Xenodochiorum *das Caldas* & Scalabitani Scrutator, tandem Regiæ Curiæ Senator fuit, quod munus sæpius oblatum constantissimè recusaverat: hoc præmio decoratus, cùm in ingressu Ulyssiponensi Philippi III. Hispaniarum Regis Orationem habuit, ut de illius adventu Urbis Regiæ nomine gratularetur. Virtutum omnium se præbuit exemplar, maximè erga pauperes, quibus obsonia condiri domi jubebat. Curarum pertæsus temporalium, & de sola æternitate meditans, statuit vitæ Teresianæ, vel Franciscanæ in Provincia *de Arrabida*, ut vocant, arctioribus institutis se addicere, sed Deo sic disponente, ejus optatis non respondit eventus. Ignatii nomen, & famam posteritati tradidit clarissima filia Bernarda Ferreira de La Cerda, dignis laudibus à Lupo de Vega Carpio, & Joanne Peres de Montalvaõ commendata, optimèque merita de Republica literaria, multorum idiomatum sermone docta, libris in lucem editis, poetico œstro felicissimè rapta, Rhetorices, Mathematices, & Philosophiæ documentis apprimè instructa; quæ omnia ita animum regium Philippi III. devinxerunt, ut cùm in Aulâ Lusitanâ moraretur pro Conventu omnium Ordinum agendo, optaverit ut ipsa Regios Principes erudiret. Edidit:

Pratica a ElRey Filippe nosso Senhor na entrada, que fez em Lisboa dia de S. Pedro do anno de 1619. Ulyssippone apud Petrum Craesbeeck, 1619 fol. Rursus prodiit in libro, cui titulus: *Viagem da Catholica Real Magestade d'ElRey D. Filippe II. Nosso Senhor ao Reyno de Portugal*, fol. pag. 22.

(38)

D. Antonius Mascarenhas, Theologiæ Doctor, Præsul *de Obidos*, Inquisitionis apud Eboram Consiliarius, Tribunalis Conscientiæ, & Militarum Ordinum Consiliarius, Regiorum Sepulchrorum Monasterii *de Odivellas* Visitator, Regiæ Capellæ Decanus, Gubernator *do Crato*, & Generalis Bullæ Cruciatæ Commissarius, cujus gratia multæ illi, & magnæ contentiones fuere cum Joanne Baptista Palloto Collectore Pontificio. Aliquorum inmerito, subiit invidiam, & hac de causa ad Regem Hispaniæ delatus est, & diligentèr inquisito crimine innocentiæ vindicem Regem habuit. Propriis impensis construxit Cœnobium Ulyssipponense D. Joannis à Deo, quo jacet. Edidit:

Relaçaõ dos procedimentos, que teve Dom Antonio Mascarenhas, Commissario Geral da Santa Cruzada nos Reynos de Portugal, na decisaõ, e declaraçaõ de algumas duvidas, que o Colleitor Joaõ Baptista Palloto, com boa tençaõ, e zelo da jurdiçaõ Apostolica moveo acerca da dita Bulla, &c. Sine loco editionis, in quarto.

(39)

Antonius Martins Velho, Theologus, Archidiaconus *de Penella*, & Insularum Capitis Viridis Episcopus designatus.

(40)

Hieronymus de Gouvea de Sampayo, Canonista, obiit juvenis.

(41)

Blasius de Leiria, Canonista, altero post suscepta Sodalis insignia anno mortuus.

(42)

Gaspar da Costa, Pontificii Juris Doctor, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Bahiensis Prætorii Cancellarius.

(43)

Petrus Barbosa, Juris Cæsarei Doctor, Christi Militiæ Eques, Senator Domûs Supplicationis, & in Criminalibus Prætor, insignis Juris Cæsarei Professoris Petri Barbosa consanguineus.

(44)

Alvarus Lopes Moniz, Licentiatus in Legibus, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Palatinus, Militarium Ordinum, Regnique Cancellarius Maximus, & Christi Militiæ Eques.

(45)

Constantinus Barradas, Theologus, & ejusdem sacræ Facultatis Professor, quartus Episcopus Brasiliensis.

(46)

Carolus Brandaõ, Licentiatus in Legibus, & Professor, Senator Domûs Supplicationis, & Christi Militiæ Eques.

(47)

Ludovicus de Araujo de Barros, Canonista, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, rerum Criminalium Aulicus Prætor, & Senator Palatinus.

(48)

Joannes Gomes Leitaõ, Licentiatus in

in Legibus, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, rerum Criminalium in Aula Prætor, Ulyssipponensis Prætorii Cancellarius.

(49)

Gaspar Pereira, Canonista, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, Inquisitor Eborensis, & Collimbriensis, Tribunalis Conscientiæ, & Ordinum Militarium, & supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, & Canonicus Doctoralis Bracharensis.

(50)

Ludovicus Mendes de Macedo, in Sacra Theologia Baccalaureus, Canonicus Portuensis, & Scalabi Præsul Paræciæ Sancti Stephani, vulgo *do Santo Milagre*, cujus historiam notatu dignissimam referre libet *ex P. Antonio de Vasconcellos in Descriptione Regni Lusitaniæ, quæ ad calcem Anacephaleoseos Regum Lusitaniæ edita est Antuerpiæ apud Belleros*, 1621. pag. 549. Sic habet:

Præter D. Irenes Sepulchrum Scalabis adauget famam inauditum illud miraculum, quod regnante Alphonso hujus nominis Tertio contigisse fama est; quod paucis dicam, tum quia relatu dignum, tum quia apud Lusitanorum annales nulla est de illo mentio. Fœmina ex platea Ferraria domesticas cum viro simultates frequentèr exercebat, quibus ut remedium compararet, vicinam convenit Moysticâ adhuc religione delirum, quæ suo hortatu, & amuletis frequenti diffidio faceret medicinam. Vicina hebraicis nugis implicita, nocendi tempus nacta fœminam in hanc fraudem inducit; sibi, si velit cum viro mutuo amore copulari, Christi corpus sub candido velamine delitescens, ut tantis malis medeatur, opus esse. Fœmina minimè mala, & quæ nihil aliud, nec votis quidem conceptis, in animo haberet, nisi marito familiariter uti, perjuræ Hebrææ conciliis acquiescit. Divi Stephani Templum festina adit, & ut se pabulo reficiat, Sacerdotem rogat; cujus postulatis cùm Sacerdos non molestè blandiretur: particulam ori insertam, Sacerdoti imprudenti, sudario benè mundo, & concinno clanculum obvolvit. His actis quasi voti compos candida fœmina se domum recipiebat. Ecce tibi, qua iter persequitur, sanguinis guttæ subinde defluentes viam signabant. Accurrit frequentissima hominum multitudo, confluunt certatim fœminæ: quæ sint ea vulnera porro? quidve ferat? memoret: Misella fœmina rei novitate, & dissuetudine attonita, quo se vertere nesciens, domum grallatorio gradu se contulit, sudariumque in scrinio ad custodiam cautè occlusit.

Cùm ad multam noctem somno se traderet, maritus rei ignarus, insolito splendore ab scrinio emanante perstrictus, ipsâ meridianâ luce clariori, uxorem percontatur: quæ lux tam clara repente? A quo fonte tantus splendor diffunderetur? Illa & formidine capta, & miraculo perculsa rem, ut erat, conjugi aperit: qui ad primam auroram è lecto surgens, Curiones, & primæ nobilitatis viros certiores facit, remque ordine pandit. Confluit certatim numerosa utriusque sortis multitudo, qui sacram hostiam sanguinis adspersione cruentatam venerantes, solemni pompa in Paræcia D. Stephani collocarunt: ubi, post acres concertationes inter religiosas familias, & Paræcias, quia litem vicit, nostra tempestate perstat. Ut tamen Curiones litem per pacem dirimerent, & Dominicanam Familiam in tranquillum conferrent,

rent, eos fudario donarunt, quod in theca criftallina conditum in Sacrario fervant. Illius Curiæ Hierophantæ facram hoftiam cerea in ampulla inferuerunt, cujus fragmenta etiam noftra tempeftate fanguineis maculis refperfa obfervantur. Longa annorum ferie perftitit facra hoftia cera obvoluta, cùm tandem referata cera præter omnium fpem chriftallina ampulla vifa eft Angelorum induftria elaborata, quæ facram particulam ea arte circundat, ut unde incipiant, quove definant ftructuræ compages, nec vifu, aut ratione percipi poffit.

(51)

Andreas de Mello, Canonifta, Senator Portuenfis, & Gravaminum.

(52)

Petrus Garcia, Medicus, obiit adhuc Sodalis.

(53)

Joannes Pimenta de Avreu, Theologus, Canonicus Magiftralis Sedis Lamecenfis, & Bracharenfis, Præcentor Collimbrienfis, & in eadem Sede Canonicus Magiftralis, & ibidem Inquifitionis Conciliarius, Epifcopus Angrenfis.

(54)

Alvarus Velho, Legum Doctor, Senator Portuenfis, Domus Supplicationis, & Gravaminum.

(55)

Michael Bentes Freire, Medicus, hac pofthabita Facultate Jurifprudentiæ laureâ infigniri voluit, fed Philippus Hifpaniarum Rex ejus optatis non refpondit.

(56)

Sebaftianus da Cofta de Andrada, Theologiæ Doctor, Canonicus Magiftralis Eborenfis, & pro tota illa Diœcefi Bullæ Cruciatæ Commiffarius Subdelegatus, fui temporis Concionator eximius, modeftiffimè renuit Epifcopatum Infularum Capitis Viridis. Edidit:

Quæftionarium variæ Theologiæ ad explicationem Bullæ Cruciatæ. Eboræ apud Emmanuelem de Lyra, 1606. quarto.

Officia propria Ecclefiæ Eborenfis, id eft: *Feftum Sancti Blafii, Gaudiorum Beatæ Virginis, Sancti Manfii Eborenfis Epifcopi, ejufdem Sedis Dedicationis, Miraculi Ceræ, Angeli Cuftodis, Sanctæ Irenæ, & Sanctorum Martyrum Vincentii, Sabinæ, & Chriftetæ.* Eboræ apud Emmanuelem de Lyra, 1607. octavo.

Commentaria in Threnos, & Orationem Jeremiæ Prophetæ. Lugduni apud Horatium Cardon, 1609. octavo.

Sermaõ nas Exequias da Rainha D. Margarida de Auftria, celebradas na Santa Se de Evora, em 19. de Dezembro de 1611. Ulyffippone apud Georgium Rodrigues, quarto.

Expofiçaõ fobre hum Pfalmo. M. S.

Queftões Moraes fobre coufas tocantes à Irmandade da Mifericordia M. S.

Tratado fobre fe he bem, que na Prociffaõ que a Mifericordia faz por dia de Todos os Santos para trazer os offos dos Enforcados fe leve o Crucifixo da Confraria M. S.

De Bono Mortis, quâ præpe limis opus feliciffimè inchoatum non potuit abfolvere.

(57)

Petrus Machado de Brito, Canonifta, negotiorum causâ Pinciam adiit, ubi tunc temporis Rex Hifpaniarum morabatur.

Baltha-

(58)

Balthasar Fialho, Juris Cæsarei Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, & Cancellarius, ubi per totos novem annos Juridici Conventûs Principis vices supplevit, baculo utens, qui illius dignitatis insigne est, & Palatinus Senator.

(59)

Ludovicus Mendes Barreto, Doctor in Legibus, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Regiarum causarum Procurator, & Senator Palatinus.

(60)

Gabriel Pereira de Castro, Christi Militiæ Eques, Juris Pontificii Doctor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Generalis Ordinum Procurator, & Aulicus rerum Criminalium Prætor, quâ de causa egit Cancellarium Maximum Regni, quo munere ejus in Rempublicam præclarissima merita Philippus Quartus Hispaniarum Rex notiora fecit. Scripsit, & evulgavit:

De Manu Regia Tractatus, in quo omnium legum Regiarum, quibus Regi Portugalliæ in causis Ecclesiasticis cognitio est ex jure, privilegio, consuetudine, seu concordia, sensus, & vera decidendi ratio aperitur. Tom. 1. Olyssipone apud Petrum Craesbeeck, 1622. fol.

Tom. 2. Olyssipone apud eumdem, 1625. fol. Lugduni apud Claudium Bourgeat, 1673. fol.

Decisionum Supremi Senatûs Portugalliæ liber unus. Olissipone apud Petrum Craesbeeck, 1621. fol. *Rursus* apud Antonium Craesbeeck, 1674. fol.

Ulyssea, ou Lisboa edificada, Poema Heroico. Ulyssipone apud Laurentium Craesbeeck, 1636. in quarto; iterum in octavo, curis fratris sui Ludovici Pereira de Castro, qui eam dicavit Principi D. Theodosio, secundo, vel tertio anno Inaugurationis Regis Joannis Quarti, sine loco editionis.

Cançaõ ao Nascimento de Filippe IV. quæ præfixa est utrique editioni Tractatûs de Manu Regia.

Epigramma in Effigiem Francisci de Caldas Pereira Patris sui.

Elegia in editionem Ulyssipponensem Operum Patris sui.

Antinomias das Ordenações de Portugal conciliadas. M. S. in octavo. Opus dicatum Comiti do Basto, Portugalliæ Gubernatori.

Monomachia sobre as Concordias, que os Reys deste Reyno fizeraõ com os Prelados delle nas materias da jurisdicçaõ temporal, e Ecclesiastica, e outros Breves, de que foraõ tiradas algumas Ordenações, e da Confirmaçaõ Apostolica, que sobre estas duvidas interpoz o Summo Pontifice. M. S. in quarto.

Obras varias Lyricas em diversas linguas, in quarto M. S.

Comedias Portuguezas. M. S. in quarto, ut constat ex Catalogo Bibliothecæ Illustrissimi Domini D. Roderici da Cunha, Archiepiscopi Ulyssipponensis, typis excusso in Urbe Portuensi, 1627. in quarto.

In libro *Anagramma de la vida humana*, Autore Henrico Visorio, e ito Ulyssippone apud Antonium Alvares, 1590. in octavo, legitur *Epigramma*, & *Elegia*, cui titulus *Exasticon* nostri doctissimi Gabrielis.

(61)

Petrus Freire de Andrada, Medicinæ Professor, deinde Sacris initiatus, & tandem Abbas S. Clementis *do Basto.* Fran-

(62)

Francifcus de Brito de Menezes, Canonifta, Senator Portuenfis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Regiorum Patronatuum Procurator, Inquifitionis Ulyfſipponenſis Conciliarius, & Collimbrienfis Infpector, Cruciatæ Conciliarius, & Academiæ Rector, Regisque à Conciliis. Edi curavit: *Auguftiffimo Hifpaniarum Principi recens nato Balthafari Carolo Dominico Philippi hoc nomine III. Lufitaniæ Regis filio expectatiffimo Natalitium Libellum dedicat Academia Conimbricenfis. Juffu Francifci de Brito e Menezes à Conciliis Catholicæ Maieftatis, & ejufdem Academiæ Rectoris.* Conimbricæ Typis, & Expenfis Didaci Gomes de Loureiro, Academiæ Typographi, 1630. in quarto.

(63)

Antonius Laurentius, Legifta, & ejufdem Facultatis Profeffor, Senator Portuenfis, & Domûs Supplicationis.

(64)

Arias Correa Baharem, Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus Magiftralis Ulyffipponenfis renuit Infulam Funchalenfem.

(65)

Joannes Galvaõ Botelho, Theologus, Magifter Scholaris Sedis Leyrienfis, Epifcopatum Infulæ Divi Thomæ prudentiffimè recufavit.

(66)

Joannes Sanches de Barbuda e Baena, Canonum Licentiatus, Eques Militiæ Chrifti, Senator Portuenfis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Regiæ Gazæ Procurator, & Senator Palatinus.

(67)

Bernardus Correa, Theologus, & poftea Canonifta, obiit præmaturè.

(68)

Ludovicus Ribeiro de Leiva, Juris Pontificii Doctor, & Primarius Antecelfor, Senator Domûs Supplicationis, Inquifitionis Collimbrienfis Conciliarius, & ejufdem Sedis Canonicus Doctoralis. In Regali Collegio Collimbrienfi Patrum Societatis Jefu extruxit Sacellum Conceptioni Marianæ dicatum.

(69)

Cidius de Almeida, in Legibus Doctor, & Profeffor, Chrifti Militiæ Eques, Senator Portuenfis, Domûs Supplicationis, Gravaminum, & Palatinus: Matriti à Sanctioribus Conciliis Portugalliæ.

(70)

Joannes do Amaral de Vafconcellos; Chrifti Militiæ Eques, togam in Portuenfi Prætorio refpuit, & facris initiatus obiit Subdiaconus.

(71)

Ludovicus Pereira de Caftro, in Sacris Canonibus Licentiatus, Senator Portuenfis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Inquifitionis Ulyffipponenfis, & Bullæ Cruciatæ Conciliarius, Prætorii Ulyffipponenfis Cancellarius, Canonicus Doctoralis Bracharenfis, & Collimbrienfis, Tribunalis Confcientiæ, & Trium Ordinum Militarium Conciliarius, Senator Palatinus, à Sanctioribus

ribus Conciliis, ad Monasteriensem, & Osnaburgensem Conventum Legatus. Scripsit:

Ad Legem Mentalem, duo volumina, quæ ejus heredes malè negarunt celeberrimo Doctori Emmanueli Alvares Pegas, qui authoris nomine evulganda curabat in Commentariis ad Tit. 35. Ordinationum Lusitanarum.

Regimento da Bulla da Cruzada.

Memorial a ElRey D. João o IV. M.S.

In libro, cui titulus: *Memorias Funebres na morte da Senhora D. Maria de Attaide*, typis excusso Ulyssippone ex Officina Craesbeeckiana, 1650. in quarto, edita est *Canção do Doutor Luiz Pereira de Castro*, pag. 38.

(72)

D. Lupus de Almeida, Theologus, Archidiaconus *de Baldije* in Sede Lamecensi, Eques Militiæ Christi, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius.

(73)

D. Joannes de Attaide, Theologiæ Doctor, uxorem duxit, nomen militiæ dedit, & equestres copias ducens, Montijiensi prælio interfuit. Scripsit:

Rudimentos da Cavallaria da Gineta. Opus Joanni IV. Lusitanorum Regi dicatum, & jam cum facultatibus ad editionem expeditum, sed lapsu temporis prodiit nomine Francisci Pinto Pacheco, Ulyssippone apud Joannem Galraõ, 1670. in quarto.

(74)

Franciscus Mendo Trigoso, in Medicinâ Doctor, intempestivè obiit.

(75)

D. Antonius Mascarenhas, in Sacra Theologia Doctor, Christi Militiæ Eques, & Commendator *de Castelnovo*, & *dos Maninhos*, unus è Lusitanæ libertatis assertoribus anno 1640. Scripsit:

Genealogias Lusitanas, quæ asservantur apud Ducem de Alafoens, cujus matris hic Antonius fuit Tritavus.

(76)

Christophorus de Azeredo, Juris Cæsarei Doctor, & Professor, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum.

(77)

Franciscus Rodrigues de Valladares, Sacrorum Canonum Doctor, & Professor, Abbas *de Meixedo*, & Præsul *de Barcellos*, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, & Senator Portuensis.

(78)

Antonius Coelho de Carvalho, Canonista, Christi Militiæ Eques, Regii Fisci Collimbriensis, & in eadem urbe Inquisitionis Conciliarius, Senator Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Senator Palatinus, & in Galliam unà cum Francisco de Mello Præfecto venatoribus Regiis Legatus, Regiorum Saltuum Judex.

(79)

D. Laurentius Coutinho, Canonista, Christi Militiæ Eques, & Commendator *de Saõ Cypriaõ de Angueira*, Senator Domûs Supplicationis.

(80)

Martinus Alphonſus Pereira, Legiſta, obiit Sodalis.

(81)

Antonius de Abreu Coelho, Juris Cæſarei Doctor, & Profeſſor, Senator Portuenſis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum.

(82)

Petrus de Souſa, Medicus, Primarius Anteceſſor, Chriſti Militiæ Eques. Scripſit:

Tract. in lib. 9. Rhaſ. ad Almanſorem. M. S.

Tract. ſuper Fen. quartum 1. *Avicenæ.* M. S.

Tract. in libros, quos quibus purgare convenit. M. S.

(83)

Emmanuel da Veiga Eſteves, in Sacra Theologia Doctor, Abbas Sanctæ Mariæ *de Pinbel*, Canonicus Magiſtralis Viſenſis, & Bracharenſis.

(84)

Balthaſar do Valle de Siqueira, Canoniſta, Regii Fiſci Collimbrienſis Conciliarius, Senator Portuenſis.

(85)

D. Alvarus da Coſta, Sacræ Theologiæ Doctor, Collimbrienſis Inquiſitionis Conciliarius, ejuſdemque Sedis Canonicus Magiſtralis, Rector Academiæ, Regis à Conciliis, ejusque Honorarius Cominarius, & Sacrificulus Maximus, Viſenſis Epiſcopus deſignatus.

(86)

Pantaleon Rodrigues Pacheco, in Jure Pontificio Doctor, & Profeſſor, Collimbrienſis Sedis Canonicus Doctoralis, ibique Regalis Fiſci, & Inquiſitionis Conciliarius, Canonicus Doctoralis Ulyſſipponenſis, Supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, Senator Palatinus, & Elviæ Epiſcopus deſignatus. Romam adiit cum Illuſtriſſimo D. D. Michaele de Portugal, Epiſcopo Lamecenſi, pro expediendis Luſitaniæ Epiſcopis: re infectâ reverſus in Patriam, de Maieſtate poſtulatus fuit, ſed falsò. Scripſit:

Memorial ſobre a juſtiça da Acclamaçaõ d'ElRey D. Joaõ o IV. à Santidade de Urbano VIII. em Italiano, *in Leone, nella Stamperia di Guglielmi di Giugno*, 1642. fol.

(87)

Petrus Vieira da Sylva, Legum Baccalaureus, Regii Fiſci apud Collimbriam Conciliarius, Chriſti Militiæ Eques, & Commendator Ordinis Divi Jacobi, Senator Portuenſis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Cauſaurum ad Regiam Coronam ſpectantium Judex, ter in exilium actus, ter Regio ſcrinio Præpoſitus, à Conciliis Regis, ad pacem Hiſpanico-Luſitanam Plenipotentiarius, Epiſcopus Leirienſis, vir omnium laude maximus, & nulli comparandus, quà probitate animi, quà in rebus agendis dexteritate. Condidit Leirenæ Monaſterium Divo Antonio dicatum Familiæ Seraphicæ, ut vocant, *da Arrabida.*

(88)

Joannes Gonçalves da Camera, Theologiæ Doctur, Præcentor Collimbrienſis,

sis, & Canonicus Magistralis Ulyssipponensis, & pro toto Episcopatu Colimbriensi Commissarius Bullæ Subdelegatus, Regiæ Domûs nobilium Orphanarum in Castello Ulyssipponensi Provisor.

(89)

Joannes Velho Barreto, Pernambucanus, in Sacris Canonibus Licentiatus, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Prætorii Portuensis Cancellarius, Senator Palatinus, & Regni Cancellarius Maximus, Præsul Avisiensis designatus, quem honorem renuit, eo quod annuam pecuniam à munere vacuo illi solvendam non esse judicatum est.

(90)

Gaspar Pinto da Fonseca, Legum Doctor, & Professor, Regii Fisci Colimbriensis Conciliarius, obiit adhuc Sodalis.

(91)

D. Antonius da Sylveira, in Sacris Canonibus Baccalaureus, Præsul *de Pereira.*

(92)

Josephus da Fonseca, Legista, Inquisitionis Eborensis Conciliarius, Præsul Thumariensis.

(93)

Rodericus da Sylveira, Sacræ Theologiæ Doctor, Inquisitionis Eborensis Conciliarius.

(94)

Eduardus Alvares de Abreu, à Patria dictus *Cadaval*, Legum Doctor, & Professor, Senator Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Primarius Antecessor designatus.

(95)

Gaspar Rodrigues Porto, in Jure Cæsareo Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, Gravaminum, & Palatinus.

(96)

D. Didacus de Lima, in Sacra Theologia Doctor, Christi Militiæ Eques, & Commendator, nonus Vicecomes *de Villanova de Cerveira*, à Conciliis bellicis, Regii Stabuli Alphonsi VI. & Armorum Lusitanæ Mesopotamiæ Præfectus, à Sanctioribus Conciliis, & Tribunalis Commercii Præses.

(97)

Didacus Monteiro de Noronha, in Legibus Doctor, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Judexque Equitum Militarium.

(98)

Gaspar Pires de Figueiredo, Medicinæ Professor.

(99)

Martinus Alphonsus de Mello, Sacrorum Canonum Doctor, & Professor, Colimbriensis, & Ulyssipponensis Inquisitionis Conciliarius, Algarbiensis Sedis Canonicus, Senator Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Crati Provisor, Bullæ Cruciatæ, & Trium Regni Ordinum, Tribunalisque Conscientiæ, & Ordinum Militarium Conciliarius, Decanus Eborensis, Episcopus Mirandensis designatus, postea Egitaniensis, & Paulini Collegii Reformator.

mator. Omnium virtutum genere cùm esset mirabiliter excultus, excelluit ardore Fidei, cujus gratia Hebræorum gentem totis viribus insectatus est. Multa aureorum millia pauperibus erogavit, & Sedi suæ legavit optimam supellectilem. Scripsit:

Ad Sextum Decretalium, volumina duo.

(100)

Nonius da Cunha d'Eça, in Sacra Theologia Doctor, Canonicus Magistralis Lamecensis, & Ulyssipponensis, Mirandæ Episcopus designatus.

(101)

Sebastianus da Guarda Fragoso, in Sacris Canonibus Doctor, & Primarius Antecessor, Canonicus Doctoralis Visensis, Egitaniensis, Collimbriensis, & Ulissipponensis, Senator Domûs Supplicationis, & Palatinus. Tanti eum fecit Academia, ut cùm de Patronatu Academico Parœciæ *de Papisios* quæstio fieret, illi præfecit Sebastianum, qui doctissimis scriptis Academiæ Patronatum asseruit.

(102)

Christophorus de Mello Freire, Doctor Theologus, subinde Canonista, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Ulyssipponensis Ædilis.

(103)

Joannes Carneiro de Moraes, in Jure Cæsareo Doctor, & Professor, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Regiæ Gazæ Procurator, Christi Militiæ Eques, Portuensis Prætorii Cancellarius, à Conciliis Regis, Senator Palatinus, & Regni Cancellarius Maximus. In Urbe Portuensi in platea Sancti Ovidii construxit Ædiculam Divo Benedicto dicatam.

(104)

Lupus Ludovicus de Camões, in Legibus Baccalaureus, & Professor, perfectioris vitæ studio arctiora Divi Francisci instituta in Provincia Divi Antonii amplexus est, sed adversâ valetudine præpeditus, professionem emittere non potuit.

(105)

Ludovicus Vincentius de Caceres, Sacrorum Canonum Doctor, & Professor, obiit adhuc Sodalis: ejus præmaturam mortem prosecutus est elegantissimo Epigrammate Lusitano Antonius Barbosa Bacellar, Poetarum sui temporis facilè Princeps.

(106)

Nicolaus Pereira de Castro, Legista, Cancellarius Goanus, Christi Militiæ Eques, & Gubernatoris Indiæ munere functus fuit.

(107)

Emmanuel Delgado de Mattos, Juris Cæsarei Doctor, & Professor, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, ejusdemque Prætorii Cancellarius, à Conciliis Regis, & Bellici Concilii Assessor. Non minores in Jure Civili, quàm in re Genealogica progressus fecit, nomina namque Patrum, Avorum, & Proavorum ad quintum usque gradum progrediendo, omnium Europæ Nobilium memoriter reddebat. Scripsit:

Familias de Portugal, volumina duo. M. S.

Fami-

Familias de Hespanha, volumina duo. M. S.

Familias de França, volumen unum. M. S.

Familias de Inglaterra, volumen unum. M. S.

Parabat, *Familias de Italia*, cùm de vita migravit.

(108)

Josephus Mendes Salas, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum.

(109)

Emmanuel Pereira de Mello, Artium Magister, Theologiæ Doctor, Canonicus Magistralis, & Collimbriensis, à Conciliis Regis, Academiæ Rector, Episcopatum Angrensem recusavit.

(110)

Mathias Alvares de Aguiar Mourão, in Jure Cæsareo Doctor, & Professor, ejusque Primario Antecessori æquatus privilegiis, & redditibus, Senator Portuensis, Tribunalis Conscientiæ, Ordinumque Militarium Conciliarius vacationum tempore. In horto Collimbriensis Collegii Patrum Carmelitarum Nudipedum extruxit Sacellum Divæ Theresiæ eâdem partium compositione Ædicularum *do Bussaco*, ut illic Patres solitarii eisdem piæ mentis exercitationibus animos perpolirent.

(111)

Eduardus Vaz d'Orta Osorio, Legum Doctor, & Professor, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, in Criminalibus Aulicus Prætor, & Gazæ Regiæ Conciliarius.

(112)

Ambrosius Trigueiros Semmedo, Sacrorum Canonum Doctor, & Professor, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, Canonicus Doctoralis Lamecensis, Portuensis, & Collimbriensis.

(113)

Josephus de Sousa de Castellobranco, in Jure Cæsareo Doctor, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Causarum ad Regiam Gazam spectantium Judex, Regiæ Gazæ Conciliarius, & Regis à Conciliis. Munera demisit, ne gravis fieret litigantibus ob duritiem aurium. Vir fuit summâ cum laude memorandus.

(114)

Rodericus de Miranda Henriques, Canonista, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, & Inquisitor Ulyssipponensis, Canonicus Doctoralis Visensis, à Conciliis Regis, & Academiæ Rector.

(115)

Franciscus Cerveira de Moraes, Legum Doctor, & Professor, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Causarumque ad Regiam Coronam spectantium Judex.

(116)

Joannes Lamprea de Vargas, Juris Cæsarei Doctor, & Professor, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Eques Militiæ Christi, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, rerum Criminalium Aulicus Prætor, & Senator Palatinus. Virtutibus orna-

ornatissimus fuit, nunquam prandium sumpsit, quin ad mensam adhiberet atramentum pro expediendis supplicibus libellis: in proferendis sententiis Christum à Cruce pendentem consulebat, ut ipse tamquam summa, & rectissima æquitas menti quod esset melius inspiraret; mutuatâ pecuniâ præ paupertate funeratus est.

(117)

Paulus Rebello de Sousa, in Legibus Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum. Scripsit:

De jure Gentium naturali, & civili, volumina duo, quæ asservantur in Bibliotheca Regia, opus meliorum judicio nulli comparandum.

(118)

Thomas Peixoto de Sá, Canonum Doctor, & Professor, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, Canonicus Doctoralis Lamecensis, & Collimbriensis, Musarum cultor festivissimus.

(119)

Lançarotus Leitaõ de Noronha, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Regiæ Gazæ Procurator, & Conciliarius, & Palatinus Senator, Christique Militiæ Eques.

(120)

D. Ludovicus de Sousa, D. Antonii de Sousa, & D. Eleonoræ de Mello filius, natus est septimo mense in Avorum Prætorio, quod vulgo dicitur *Calhariz*. Mater acceptum referens intercessioni Sancti Ludovici, Episcopi Tholosani, & in cujus honorem Ludovici nomen ipsi indidit voti rea, illum detulit ad Sacellum ipsius Divi in tractu *de Azeitaõ* extructum, ubi imposita fuit infantis capiti Mithra Episcopi Divi Ludovici, unde plures conjectati sunt illum olim in Episcopum evasurum, quod non vanè suspicatum eventus probavit. Scalabi studuit Grammaticæ, Philosophiæque, deinde Collimbriam accessit, ubi Magister Artium creatus, sedulamque navans operam Sacræ Theologiæ, Doctorali laureâ ejusdem scientiæ redimitus est. Ingenio fuit perspicacissimo, & memoriâ ad miraculum excelluit. Regali Collegio adscriptus, Cathedram obtinuit ex illis, quas vocant *Conductas*, sed unà cum privilegiis, quibus Antecessores fruuntur, quo tempore Sacram Paginam disertissimè, copiosissimè, solidissimèque explicavit; deinde Cathedras Gabrielis, & Scoti, postea Vesperariam, tandemque Primariam jam Præcentor Collimbriensis. Adlectus jam erat Conciliariis Tribunalis Conscientiæ, & Trium Ordinum Militarium. Dùm Primariam Cathedram moderaretur, Inquisitionis Collimbriensis Conciliariis adscriptus, creatusque ab Rege Alphonso VI. Honorarius Cortinarius, à Claustro Academico electus, ut vices Rectoris gereret, & tandem ab Augustissimo Petro Regni Gubernatore designatus est Episcopus Portalegrensis, Mirandensis, & denique Lamecensis, quæ omnia obtinuit, dùm adhuc Regalis Collegii Togâ indueretur. Lamecensem Ecclesiam sapientissimè rexit, undè veniens ad Comitia Generalia Regni, missus est ab Augustissimo Principe Legatus extra ordinem ad Clementem X. Pontificem Maximum, ut tueretur Sanctæ Inquisitionis Tribunalia à Neophytorum calumniis, quibus illa apud Sedem Apostolicam acriter impetebantur. Et licèt

hostes

hostes nullum non movissent lapidem pro obtinenda victoria, palma tamen data est Ludovico. Cùm autem Ulyssipponem pervenisset nuntius rei optimè à Legato gestæ, statim nullo jubente, tota urbs in plausus effusa, sacraque Templorum æra festivo sonitu concrepuere, perque omnia fora, omnesque plateas videre erat accensa ad fenestras lumina, ut solet celebrari victoria ab hostibus reportata. Antequam Romam perveniret Ludovicus, designatus est ab eodem Principe Archiepiscopus Bracharensis, Primusque Hispaniarum. Septenium Romæ commoratus, nactus egregiam prudentiæ, ac dexteritatis laudem, Sanctissimoque Pontifici Innocentio XI. (qui Clementi X. successerat) longè gratissimus fuit, adeò ut Pontifex vehementer optaverit ut sibi à Principe proponeretur, quò eum Vaticanâ Purpurâ decoraret. Romæ commorans, creatus est à Sanctioribus Conciliis. Relicto Romæ magno sui desiderio, in Lusitaniam rediit terrestri itinere usque ad Taurinensem urbem, in qua Serenissimam Joannam (Reginæ Lusitaniæ Sororem) Sabaudæ, & Pedemontanæ ditionis Gubernatricem offi iosissimè veneratus est, ab illaque ingentia accepit Regiæ benignitatis documenta. In ea Aula splenduit Ludovici liberalitas, & magnificentia. Taurinensi urbe relictâ, venit Nitiam, & Villæ Francæ Lusitanam classem conscendit, eo in portu commorantem, feliciterque in Lusitaniam navigavit, exceptusque est Ulyssippone à Principe Petro, Regiâque Maria Francisca Elisabetha eximiis clementiæ, & humanitatis argumentis. Aulâ Lusitanâ relictâ, in Bracharensem Ecclesiam se contulit, quam summâ vigilantiâ rexit, totamque perlustravit. Condidit augustum Templum Sancto Victori Martyri Bracharensi. Piissimè obiit Inquisitionis defensor acerrimus Bracharæ tertio Kal. Maii, scilicet ipsâ die dicata Sancto Petro Martyri Inquisitori, qui pro Fide Catholica sanguinem, vitamque profudit. Scripsit:

De Merito, volumina duo. M. S.

De Auxiliis, volumen unum. M. S.

Hum larguissimo voto contra o Perdaõ Geral. M. S.

Hum Tratado da prova, que fazem testemunhas singulares nos crimes, que pertencem ao Santo Officio. M. S.

Hum Tratado sobre os Padroados dos Senhores Reys de Portugal nas Igrejas Episcopaes das Conquistas. M. S.

Sete tomos de Cartas da sua Embaixada. M. S.

Hum tomo de Votos do Concelho de Estado. M. S.

Oraçaõ Funebre Latina nas Exequias da Rainha D. Luiza na Universidade de Coimbra . . . . . 1666. M. S.

Sermaõ nos Annos do Principe D. Pedro em 26. de Abril de 1668. Hanc Concionem habuit Ludovicus nondum Sacerdos. M. S.

Sermaõ no Auto da Fé em Coimbra . . . . 1669. M. S.

Sermaõ da Soledade em Coimbra . . . 1670. M. S.

Sermaõ em Santa Engracia de Lisboa na occasiaõ, em que se roubou o Sacramento da Parochia de Odivellas, 1671. M. S.

Sermaõ da Cinza, jam Episcopus Lamecensis in sua Cathedrali . . . . . . 1672.

Praticas, que se fizeraõ nos dous Actos de Cortes, que o Principe D. Pedro, nosso Senhor, mandou convocar, e se celebraraõ na Cidade de Lisboa em 20. e 22. de Janeiro de 1674. Ulyssipone apud Antonium Craesbeeck de Mello, 1674. in quarto.

Sermaõ no Nascimento do Principe D. Joaõ, filho primogenito dos Senhores Reys

Reys D. Pedro II. e D. Maria Sofia Isabel de Neobourg. M. S.

Pastoral muito larga, e muito importante, quæ in lucem edita est.

Outras Pastoraes. M. S.

(121)

Emmanuel de Moura Manoel, in Sacris Canonibus Doctor, Canonicus Doctoralis Lamecensis, & Bracharensis, Inquisitionis Eborensis Conciliarius, Inquisitor Collimbriensis, Supremi Fidei Tribunalis, & Trium Regni Ordinum Conciliarius, Honorarius Cortinarius, Rector Academiæ, Episcopus Mirandensis, propè Averium Ædiculam extruxit magnifico sumptu Beatæ Virgini à Rupe Francica dicatam.

(122)

Joannes de Gouvea da Rocha, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Cancellarius Portuensis Prætorii, & Senator Palatinus.

(123)

Joannes de Azevedo, Sacrorum Canonum Doctor, & Primarius Antecessor, Canonicus Doctoralis Algarbiensis, Visensis, Collimbriensis, & Ulyssipponensis, Commissarius Bullæ Subdelegatus pro toto Episcopatu Collimbriæ, Inquisitionis Collimbriensis, & Supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, & Senator Palatinus.

(124)

Franciscus de Faria Severim, in Sacris Canonibus Baccalaureus, Præcentor Eborensis.

(125)

Rochus Monteiro Paim, Legum Doctor, Christi Militiæ Eques, ac Commendator, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, ubi demissâ Togâ, Regiæ Gazæ Conciliarius fuit, & a Sanctioribus Secretis Petri II. Causarum læsæ Maiestatis Judex, & Serenissimæ Domûs Brigantinæ Auditor. Pro transferendis in novum Templum Beatæ Elisabeth Lusitaniæ Reginæ reliquiis jussu Regis Collimbriam adiit; Gallorum inania jura ad Maranhoni m Provinciam doctissimis scriptis confutavit, & sacrilegè rapto in Oppido *de Odivellas* Augustissimo Eucharistiæ Sacramento scripsit:

Perfidia Judaica, Christus vindex, munus Principis: Ecclesiæ Lusitanæ ab Apostatis liberatæ. Discurso Juridico, e Politico. Mariti, 1671. fol.

(126)

Gundisalvus de Meirelles Freire, Doctor Legum, & Professor, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Causarum ad Regiam Coronam spectantium Conciliarius, Domûs Supplicationis Cancellarius, & simul Senator Palatinus.

(127)

Emmanuel Rodrigues Leitaõ, Artium Magister, Canonum, & Legum Doctor, & Professor, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Gazæ Reginæ Conciliarius, Provisor Capellarum Regis Alphonsi Quarti, Prioratus *do Crato* Auditor, & Urbis Ulyssipponensis Ædilis, quæ munera egit eodem tempore, jubente Augustissimo Petro Lusitaniæ Principe, & Successore, qui

qui optimè perspectâ Emmanuelis integritate, Ædilem creavit, ut quæstuosissimos aliquorum civium mores emendaret, quâ de causâ multoties de illo tollendo cogitarunt: & ut omnibus constaret illum pro solo Reipublicæ bono eam provinciam suscepisse, annuos Ædilitatis proventus ipse Quæstor ejus jussu pauperibus erogabat. Idem Princeps ut grati animi indicia daret, illum designavit Conciliarium Tribunalis Conscientiæ, & Trium Regni Ordinum, & à Sanctioribus Secretis; at Emmanuel noster parvi pendens oblata munera, ut seculi pompas, & vanissimos fastus declinaret, Congregationi Oratorii Ulyssipponensi novissimè institutæ à Venerabili Patre Bartholomæo do Quental se addixit, ubi Sacris initiatus, primum Sacrum fecit festivissimâ nocte Nativitatis Domini Jam Sacerdos, nova expertus est Regiæ benignitatis argumenta, sed eâdem animi constantiâ verè pii, verè magni repulit Archiepiscopatus Goanum, & Bahiensem, Episcopatum Aulicum, & Portuensem. Attamen dùm secum meditaretur de discessu ab Aula, ut negotiis publicis se negaret, insperatò piissimus ille Sacerdos Pater Balthazar Guedes, educandis Orphanis apprimè deditus, & quibus jam extruxerat Portu nobilissimum Templum, Ulyssippone convenit V. P. Bartholomæum do Quental, ut socios aliquos è Congregatione nuperrimè ab eo institutæ deligeret, qui Orphanos instruerent, & Domum sibi conderent, ipsum namque illorum curam diutiùs gerere non posse, annis fessum, & infirmâ semper valetudine conflictantem. E cœlo allatum nuntium credidit Emmanuel; delectus cum socio à V. P. iter arripuit, Portum appulit; sed re maturè perpensâ, Orphanorum curam, & instructionem hominibus maiora meditantibus impropriam reputans, aliò Domum condere statuit: sed ubi conderetur non erat vel ob locorum distantiam, vel incommodum. Dum hac esset in sollicitudine, in Ædiculam Sancti Antonii oraturus intravit, ubi conspexit imaginem Sanctissimi Patriarchæ Philippi Nerii, quod non factum casu existimavit. Igitur loco illo ab Ædilibus Portuensibus multis sæpissimè denegato, novæ Congregationis Domûs fundamenta jecit, sub titulo Divi Antonii, quæ quotidie floret viris quà literis, quà pietate, quà exemplo in paucis conspicuis. Ea in Urbe totus erat in componendis litibus, vel sedandis dissidiis, quæ ex hominum contumacia pullulant. Ejus virtus maximè enituit in dissensione inter Episcopum, & Capitulum Portuense commotâ, nam ejus operâ pax reddita est urbi, & quamvis immerito subiit Præsulis indignationem, Augustissimus Petrus literis ad eum datis, quæ adhuc in Tabulario Domûs asservantur, de pactione gratias egit. Ut tandem Lusitaniæ constet, quantum debeat huic Regalis Collegii illustrissimo Socio, novæ curæ illum avocarunt ab optata quiete, quâ in Urbe Portuensi fruebatur, nam idem Augustissimus Rex dolore pressus acerbissimo ob mortem Augustissimæ, & pulcherrimæ uxoris Mariæ Franciscæ Elisabeth à Sabaudia, virili prole destitutus in totius Regni fatale damnum, secundas nuptias renuebat. Quod homines probatissimæ vitæ, quod Magnates in rebus politicis versatissimi non potuerunt evincere, unus consecutus est Emmanuel Rodrigues Leitaõ. Ulyssipponem venit, & Palatium, à quo fugerat, ingrediens, Regem convenit, & tam apertè dixit, ut Rex mutatâ sententiâ de nuptiis cogitavit cum Augustissima Maria Sofia Elisabetha de Neoburg, ex quâ suscepit inter alios Augustissimum Regem Joannem

Quintum. Negotio confecto, Portum subitò fecessit, ubi quinta die Julii, 1691. in pace quievit. Adversus Franciscum Ramos del Manzano scripsit Aulæ jussu:

Tratado Analytico, e Apologetico sobre os provimentos dos Bispados de Portugal. Ulyssippone ex Typographia Regia Deslandesiana, 1715. fol. Quo in opere dubites quid præstantius, acumen, an eloquentia?

(128)

Emmanuel da Costa de Almeida, Sacrorum Canonum Doctor, Vesperarius Antecessor, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, Canonicus Doctoralis Lamecensis, Egitaniensis, Algarbiensis, & Collimbriensis, ejusdem Episcopatûs Provisor, & Commissarius Bullæ Subdelegatus, & Senator Palatinus.

(129)

Josephus de Sousa Pereira, in Legibus Doctor, & Professor, Eques Militiæ Christi, & Commendator, à Secretis Legationis Romanæ extra ordinem Illustrissimi D. D. Ludovici de Sousa, Archiepiscopi Bracharensis, & Conciliarius Tribunalis Gazæ Regiæ. Oblatam Prolegationem Romanam renuit, illam absque Legati titulo indignam reputans.

(130)

Melchior Dias Preto, in Sacris Canonibus Baccalaureus, obiit immature.

(131)

Dominicus Vieira de Macedo, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, ac Domûs Supplicationis.

(132)

Paulus Carneiro de Araujo, Licentiatus in Legibus, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, à Conciliis Regis, Procurator, & Conciliarius Tribunalis Gazæ Regiæ, Domûs Supplicationis Cancellarius, & Tribunalis do *Tabaco* Conciliarius, Eques Militiæ Christi. In generali Conventu Ordinum Regni pro juramento Serenissimi Principis D. D. Joannis (nunc Regis Augustissimi) Procuratorem egit Ulyssipponensem. Dixit, & evulgavit:

Pratica do Juramento do Principe D. Joaõ.

Pratica no Acto de Proposiçaõ de Cortes. Ulyssippone apud Michaelem Deslandes, 1697. in quarto.

(133)

Antonius Pereira da Sylva, Sacræ Theologiæ Doctor, Canonicus Magistralis Eborensis, & ibidem Inquisitionis, Triumque Regni Ordinum Conciliarius, à Sanctioribus Secretis, Episcopus Elvensis, & Algarbiensis.

(134)

Simon de Sousa de Magalhães, Canonum Doctor, & Professor, Eques Militiæ Christi, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Prolegatus Londini, Tribunalisque Regiæ Gazæ Conciliarius.

(135)

Ignatius de Castilho, in Sacris Canonibus Baccalaureus, obiit juvenis.

Vale;

(136)

Valerius Farinha, Canonum Doctor, & Professor, Canonicus Doctoralis Egitaniensis, & Portuensis, Collimbriensis Inquisitionis Conciliarius. Homicidii causâ, de quo falsò delatus est, Salmanticam secessit, ubi nomine Scholastici Collimbriensis tota illa Academia optimum Magistrum venerata est.

(137)

Franciscus Rodrigues Cassaõ, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, humaniorum literarum laude celeberrimus.

(138)

Joannes Correa do Valle, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum.

(139)

Ludovicus Ciabra de Freitas, in Legibus Doctor, immaturâ morte occubuit.

(140)

Benedictus da Fonseca da Sylva, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Prolegatus ad Luteiam Parisiorum designatus, Romæ Prolegatus, & ibi Palatinus Senator designatus, Christi Militiæ Eques.

(141)

Michael Fernandes de Andrada, in Legibus Doctor, & Antecessor Primarius, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, Gravaminum, & Palatinus, Causarum læsæ Maiestatis, & Regiorum Saltuum Judex, Tribunalis *do Infantado* Conciliarius, & Serenissimi Infantis D. D. Francisci à Secretis designatus. Vir incomparabilis scientiâ, & elegantiâ.

(142)

Petrus Alvares Garrido, Canonum Doctor, & Antecessor Vesperarius, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, Canonicus Doctoralis Lamecensis, Egitaniensis, Portuensis, & Collimbriensis.

(143)

Emmanuel da Cunha Sardinha, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, à Conciliis Regis, Procurator, & Conciliarius Regiæ Gazæ, & Tribunalis Bullæ Cruciatæ, & ejusdem Cancellarius, Conciliique Bellici Assessor. Ejus magna in Rempublicam merita optimè declarant Diplomata Regia.

(144)

Joannes Rodrigues Pinto, Sacrorum Canonum Doctor, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, & Canonicus Doctoralis Visensis.

(145)

Antonius Teixeira Alvares, in Sacris Canonibus, & Legibus Doctor, Legum Antecessor Vesperarius, Primariusque Canonum Antecessor, Canonicus Doctoralis Visensis, Algarbensis, & Collimbriensis, Inquisitionis Collimbriensis, & Supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, & Senator Palatinus.

(146)

Laurentius Brandaõ, in Legibus Doctor, & Professor, Senator Portuensis.

(147)

Franciscus Mendes Pimentel, Canonum Doctor, Canonicus Doctoralis Collimbriensis, & ibi Inquisitionis Conciliarius, ejusdem Episcopatus Procurator, & Commissarius Bullæ Subdelegatus. Artuum tremore affectus, Academiæ inutilem se reddidit.

(148)

Andreas Sanches Farinha, in Canonibus Baccalaureus, intempestivo fato decessit.

(149)

Josephus de Mello, Baccalaureus Canonum, Canonicus Ulyssipponensis Orientalis, bello Hispano Gallico illustrem navavit operam.

(150)

Joannes Ribeiro da Fonseca, Artium Magister, Legum Doctor, & Primarius Antecessor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Regiæ Gazæ Conciliarius designatus.

(151)

Joannes de Sousa de Carvalho, Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor, Canonicus Magistralis Vitensis, & Collimbriensis Inquisitionis Conciliarius, postea Canonicus Magistralis Eborensis, & in eadem Urbe Inquisitor, & in Collimbriæ, Eboræque Diœcesibus Commissarius Bullæ Subdelegatus, Episcopus Mirandensis Concionator disertissimus edidit:

Sermaõ do Euangelista S. Marcos. Collimbriæ apud Josephum Ferreira Academiæ Typographum, 1689. in quarto.

Sermaõ de Saõ Lourenço na Igreja de Nossa Senhora de Monte Agudo. Ulyssippone apud Michaelem Manescal Sancti Officii Typographum, 1696. in quarto.

Sermaõ do Auto da Fé em Coimbra a 25. de Novembro de 1696. Collimbriæ apud Josephum Ferreira Academiæ, & Sancti Officii Typographum, 1697. in quarto.

Sermaõ nas Exequias do Inquisidor Geral Dom Fr. Joseph de Lancastro. Ulyssippone apud Manescal, 1706. in quarto.

Consensus Constitutioni Unigenitus *præstitus ab D. Joanne de Sousa Carvalho, Episcopo Mirandensi.* Ulyssippone ex Typographia Paschalis à Sylva Serenissimi Regis Typographi, 1720. in quarto.

(152)

Petrus Sanches Farinha, Canonum Doctor, Eques Militiæ Christi, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Concilii Bellici Assessor designatus, Tribunalis Conscientiæ, Triumque Ordinum Militarium, & Inquisitionis Ulyssipponensis Conciliarius, à Conciliis Regis, & Academiæ Rector.

(153)

Antonius Lopes de Carvalho, in Legibus Doctor, & Professor, Eques Militiæ Christi, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Ordinum Militarium Procurator, Concilii Bellici Assessor.

Emma-

(154)

Emmanuel Cabral de Figueiredo, Canonum Doctor, & Professor, Abbas *de Papisios.*

(155)

Alexander Ferreira, Legum Doctor, & Professor, Christi Militiæ Eques, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Procurator Tribunalis *do Infantado*, Conciliarius *do Crato*, Concilii Bellici Assessor, Promotor Bullæ Cruciatæ, & Conciliarius, & Tribunalis Conscientiæ, Triumque Militarium Ordinum, & Gazæ Regiæ Conciliarius, Causarum læsæ Maiestatis Assessor, Regiæ Academiæ Socius, & Legationis Hispanæ extra ordinem Marchionis *de Abrantes* à Secretis. Scripsit, & evulgavit:

Alegacion juridica, en que por las verdades más solidas de la Jurisprudencia se muestra el infalible derecho, con que los Reynos, y señorios de España pertenecen por la muerte del Rey Catholico Carlos II. al Serenissimo Señor Archiduque de Austria Carlos III. verdadero, y legitimo Rey de las Españas. Ulyssippone Typis Valentini da Costa Deslandes Regii Typographi, 1704. fol.

(156)

Geraldus Pereira Coutinho, in Legibus Doctor, & earum Antecessor Vesperarius, & postea Canonum Primarius, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius.

(157)

Alexander de Sousa Freire, Artium Magister, Sacræ Theologiæ Doctor, Eques Militiæ Christi, Præfectus Provinciæ *do Maranhaõ.*

(158)

Bernardus Pereira da Sylva, Artium Magister, Legum Doctor, & Vesperarius Antecessor, Christi Militiæ Eques, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, elegantissimus Poeta, & Orator.

(159)

Antonius Çallema de Almeida, Sacrorum Canonum Licentiatus, obiit immaturè.

(160)

Didacus Cardoso de Almeida, in Legibus Doctor, & Antecessor Vesperarius, Regii Fisci Collimbriensis, & Inquisitionis ejusdem Urbis Conciliarius, Canonicus Doctoralis Egitaniensis.

(161)

Franciscus de Almeida Cayado, Canonum Doctor, & Antecessor Vesperarius, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, & Canonicus Doctoralis Lamecensis, & Bracharensis.

(162)

Ludovicus Vaz Coimbra, in Sacris Canonibus Doctor, & Professor, Eques Militiæ Christi, Sedisque Ulyssiponensis Orientalis Archypresbyter.

(163)

Emmanuel de Mattos, Bahiensis, Legum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Canonicus Doctoralis Visensis, Inquisitionis Collimbriensis, & Ulyssipponensis Conciliarius.

Laza-

(164)

Lazarus Leitaõ Aranha, in Legibus Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Eques Militiæ Christi, Tribunalis Conscientiæ, Triumque Militarium Ordinum Conciliarius, Canonicus Doctoralis Sanctæ Basilicæ Patriarchalis, Regis à Conciliis, & à Secretis Legationis Romanæ extra ordinem Marchionis *de Fontes*. Egregio, summo, & utilissimo labore collegit quinque voluminibus:

Resolutiones, & Acta Tribunalis Conscientiæ, & Ordinum Militarium.

(165)

Antonius de Andrada Rego, Artium Magister, Sacrorum Canonum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Canonicus Doctoralis Algarbiensis. Edidit:

Sermaõ da Rainha Santa Isabel. Collimbriæ in Regali Artium Collegio Societatis Jesu, 1727. in quarto.

(166)

Joannes de Araujo Ferreira Rebello, Canonum Doctor, & Professor, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Cancellariæque Judex.

(167)

Alexander de Vasconcellos Coutinho, in Sacris Canonibus Doctor, & Professor, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Senator Portuensis.

(168)

Franciscus Coelho da Sylva, Canonum Doctor, & Professor, Senator Portuensis.

(169)

Josephus Caietanus de Moura, Canonum Doctor, Beneficiarius *de Coruche*, Canonicus Collimbriensis.

(170)

Thomas Chichorro da Gama Lobo, in Sacra Theologia Doctor, Canonicus Magistralis Eborensis, & ibi Tribunalis Inquisitionis Conciliarius.

(171)

Ferrandus Pires Mouraõ, in Jure Cæsareo Doctor, & Professor, Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius, Senator Portuensis vacationum tempore, sed postea Senator ordinarius designatus, Augustissimum Regem eo rationum pondere allocutus est, ut illum à designato munere absolverit.

(172)

Franciscus Pereira da Cruz, in Legibus Doctor, & Professor, Senator Portuensis, & Domûs Supplicationis, Inquisitionisque Ulyssipponensis Conciliarius.

(173)

Thomas Ayres Pereira de Castro, Legum Doctor, & Regii Fisci Collimbriensis Conciliarius. E Gallico Lusitanum fecit:

O Telemaco. M. S.

(174)

Emmanuel Tavares Coutinho da Sylva, Sacrorum Canonum Doctor, & Antecessor Vesperarius, Canonicus Doctoralis

ctoralis Lamecensis, & Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius.

(175)

Ferrandus Josephus de Castro, Legum Doctor, & Professor.

(176)

Martinus Teixeira de Carvalho, in Legibus Doctor, Beneficiarius *de Coruche*, perfectioris vitæ desiderio æstuans, Missionariorum strictioris Observantiæ D. Francisci in Seminario *de Brancanes* apud Caobrigam habitum induit; sed cùm ob ingravescentes morbos Missionum itineribus, & laboribus par non esset, ad Provinciam Sancti Antonii ejusdem Familiæ transivit.

(177)

Joannes de Moura de Gouvea, Canonum Doctor, & Professor, Abbas *de Papisios.*

(178)

Ludovicus Teixeira Pinto, Canonum Doctor, & Professor.

(179)

Josephus Dias Ribeiro, Artium Magister, Canonum Doctor, & Professor, Beneficiarius *de Coruche.*

(180)

Dionysius Simões Ferraõ, in Legibus Doctor, obiit in Patria magno totius Academiæ luctu ob ejus doctrinam, perspicuitatem, elegantiam, & morum probitatem

(181)

Franciscus Soares de Macedo, Legum Doctor, & Professor.

(182)

Nicolaus Alvares Brandaõ, Canonum Doctor, & Professor.

(183)

Emmanuel Moreira de Sousa, in Artibus Magister, in Sacris Canonibus Licentiatus, & in Legibus Doctor, Regiæ Academiæ extra ordinem Socius, Collimbriensis Curiæ Senator, & Generalis Vicarius, Regalis Cœnobii Sanctæ Crucis Collimbriensis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ ejusdem Cœnobii Judex Conservator Apostolicus, Commissarius Bullæ Cruciatæ Subdelegatus, Sancti Andreæ *de Barrô* Sacerdotium obtinuit periculo facto cum viginti tribus competitoribus, quorum quamplurimi eminebant Scientia Sacra. Scripsit:

Praxis ad Exercitia Spiritualia Eucharisticæ pietatis, ex probatissimis authoribus selecta pro opportunitate celebrantium, communicantium, aut Sacro intercessentium, suo ordine, & loco disposita. Conimbricæ apud Benedictum Secco Ferreira Typog. S. Offic. 1724. qui in Prologo sic ait: Ex variis igitur (*operâ, & studio D Emmanuelis Moreira de Sousa, Prioris Sancti Andreæ Barrensis*) hanc seligi curavi, è quâ fructum colligere sit omnibus.

Policia, e Urbanidade Christãa no trato, e correspondencia Civil, traduzida do exemplar Latino: outras vezes impressa, e agora accrecentada de mais relevantes preceitos, que a fazem nova obra. Coimbra por Luiz Secco Ferreira, 1730.

Ad

Adnotationes Selectissimæ ad privilegia, facultates, jurisdictiones, & aliquot gratias Regibus Portugalliæ, & ipsorum Capellano Maiori concessa. Editæ sunt ad calcem *Remissionum Emmanuelis Barbosa* typis excussarum Conimbricæ apud Benedictum Secco Ferreira Typ. S. Offic. 1730. fol.

Epitome Institutionum Juris. Romanæ, & Lusitanæ Jurisprudentiæ nucleum repræsentans. M. S.

(184)

Christophorus Soares de Almeida de Brito, Sacrorum Canonum Doctor.

(185)

Josephus Pegado da Gala, Canonum Doctor.

(186)


Nonius Mendes Barreto, in Legibus Doctor.

(187)

Antonius Cardoso Seara, Legum Doctor.

(188)

Franciscus Pereira da Sylva, Scalabitanus, Canonum Doctor.



NOTI-

NOTITIA CONVICTORUM, DE QUIBUS FIT MENTIO IN ARCHIATHENÆO LUSITANO.

(1)



Etrus Laurentius de Tavora, Bernardini de Tavora, Regiæ Supellectili Præpositi, & D. Ludovicæ Carneiro filius, Theologus, Prælatus Thomariensis designatus, & Eleemosinarius Maximus tempore Cardinalis Alberti.

(2)

Eduardus da Cunha, Sixti da Cunha, Commendatarii *de Oliveira*, & Mariæ de Araujo filius, Sedis Portuensis Decanus, Archidiaconus *de Barroso*, & Inquisitionis Ulyssipponensis Consiliarius.

(3)

D. Alvarus de Sousa, D. Francisci de Sousa, Oeconomi Regiæ Domûs Joannis III. & D. Beatricis de Mendoça filius, Præsul *de Miranda do Corvo*; ubi domum eo tempore magnificam pro Præsulibus extruxit, & in inauguratione Regiâ Cardinalis Henrici unus fuit, qui fulcra Umbellæ fulti-nebant.

(4)

D. Joannes de Castellobranco, D. Alphonsi de Castellobranco, Apparitoris Maximi, & D. Elisabethæ de Menezes, secundæ uxoris, filius.

(5)

Joannes Rodrigues de Vasconcellos, Didaci de Sousa de Vasconcellos, & D. Mariæ de Vasconcellos filius. *Vide Notitiam Sodalium, num. 27.*

(6)

Didacus Soares, Andreæ Soares, à Conciliis Regis, & Reginæ D. Catha-

rinæ à Secretis, & Mariæ Botelha filius, missâ Academiâ, Religioni Seraphicæ se addixit.

(7)

D. Franciscus de Lima, D. Antonii de Lima, Infantis D. Eduardi Oeconomi Maximi, Commendatoris *de Cucujaens* Ordinis Christi, & D. Mariæ Bocanegra, Reginæ D. Catharinæ Virginis Aulicæ filius, Canonicus Eborensis, Honorarius Cortinarius, Tribunalisque Conscientiæ, & Trium Ordinum Militarium Conciliarius.

(8)

Alphonsus de Saldanha, filius Antonii de Saldanha, Commendatoris *de S. Joaõ da Pesqueira*, & in Germaniam Legati, & D. Catharinæ da Sylva; ter matrimonium contraxit; primum cum D. Maria de Menezes, Antonii da Sylva de Menezes, Mayoratus *de Xevora* Administratoris, & D. Brancæ da Sylva filia: tertium cum D. Eleonora Cabral, Gregorii Martins do Rio, & D. Joannæ Cabral filia; ex nullo suscepit liberos: secundum cum D. Guiomaria de Castro, D. Petri de Noronha, Dynastæ *de Villa-Verde*, & D. Annæ de Castro primæ uxoris filia, ex qua filios suscepit.

(9)

D. Ferrandus Martins Mascarenhas, D. Vasci Mascarenhas, Regiæ Supellectilis Principis D. Joannis Præfecti, & D. Mariæ de Mendoça filius, Theologus, Canonicus Eborensis, Academiæ Rector, Præsul Vimaranensis, Episcopus Algarbiensis, Quæsitor Maximus, à Sanctioribus Conciliis, Episcopus Collimbriensis, & Ulypponensis Archiepiscopus designatus. Eodem tempore, quo pestifera lues partem ovilis absumebat, invasit alteram periculosissima fames. Utrumque damnum vitavit, aliud labore, impensis, & charitate, aliud horreis, quæ gratis in publicum commodum aperiri jussit. E civitate Farensi à pyratis populatâ, paucis Sacerdotibus comitatus recedebat Episcopus ad oppidum *de Loulé*, bonis spoliatus, & maximè insigni, & copiosa Bibliotheca, cùm ei fit obvius quidam, quem visu indignum paupertas reddebat. Procidit ad pedes Episcopi subsidium efflagitans: justè se excusavit, attamen si aliquod supererat, quod ejus egestatem levare posset, illico daturum promisit. Thoracem efflagitavit pauper; in primam domum se recepit Episcopus, thoracem exuit, & donavit, addens insuper idem facturum, si interulam petiisset. Eodem charitatis ardore se habuit erga exteros, nam cùm tres Triremes Hispanicæ è Mamorâ Farum appulissent, tempestate quassatæ, piissimus Ferrandus mortuos sepeliri jussit, ægris medicamenta exhibuit, Triremes reficiendas curavit, & commeatus suppeditavit; de quibus certior factus Hispaniarum Rex illi per epistolam gratias egit. Navem longam propriò sumptu construxit, ut litora Algarbiensia ab incursibus Maurorum purgaret, quod tam feliciter evenit, ut prædam ageret, & litora redderet tutiora. Ejus impensis extructum est Collegium Patrum Societatis Jesu in Oppido *de Villa-Nova de Portimaõ*. Theologicâ scientiâ ita fuit instructus, ut dùm Rectorem ageret Academicum, omnium cum admiratione argumenta proponeret. Scripsit:

Volumen unum in 1. 2. Divi Thomæ, quod raptum fuit à pyratis cum reliquâ Bibliothecâ.

De Auxiliis Divinæ Gratiæ ad actus supernaturales. Ulyssippone apud Petrum

trum Craesbeeck, 1604. in fol. Prodiit rursus Lugduni apud Horatium Cardon, 1605. in octavo.

De Legibus propediem editurus, anno 1606. in fol.

In Proverbia.

Officium Sancti Antonii Ulyssipponensis, qui vulgo dicitur de Padua, *quod edendum curavit Illustrissimus D. D. Ferdinandus Martins Mascarenhas Divo Antonio addictissimus. Ad usum privatum devotorum ipsius.* Ulyssippone Typis Gerardi à Vinea, 1623. in 12.

Catalogum Librorum prohibitorum ejus jussu conscriptum evulgatum est, Ulyssippone apud Petrum Craesbeeck Regium Typographum, 1624. in fol.

Tratado sobre os varios meyos, que se offereceraõ a Sua Magestade Catholica para remedio do Judaismo neste Reyno de Portugal no anno de 1625. in quarto, sine loco editionis.

(10)

Ferrandus de Sousa, de quo nihil aliud memoriæ proditum est.

(11)

D. Antonius Mascarenhas, è Convictore Sodalis. *Vide ibi num.* 38.

(12)

D. Franciscus de Menezes, immaturè occubuit adhuc Convictor.

(13)

D. Franciscus de Bragança, Domini D. Fulgentii de Bragança filius, Canonicus Eborensis, & in eadem Urbe Inquisitionis Conciliarius, & postea Collimbriensis, Honorarius Cortinarius, Tribunalis Conscientiæ, Triumque Militarium Ordinum Conciliarius, Senator Palatinus, Academiæ Reformator, cùm ipsam regeret Alphonsus Furtado de Mendoça, quam Reformationem ratam habuit Philippus III. Hispaniarum Rex, die 20. Julii, 1612. & admissa fuit à Claustro, die 10. Octobris ejusdem anni, & evulgata à pag. 301. & deinceps Statutorum Academiæ, quæ edidit Collimbriæ Thomas Carvalho, anno 1654. Commissarius Generalis Bullæ Cruciatæ, Supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, à Sanctioribus Conciliis in Comitiis, anni 1619. unus è Nobilium Procuratoribus, & Præses Tribunalis Conscientiæ, Triumque Ordinum Militarium, Patriarchaque Portugalliæ, & Indiæ pariter designatus. Ejus familia Religioso Cœtui simillima erat; illic nullum otium animos inficiebat, alii namque è famulis picturam exercebant, alii Musicæ modos addiscebant, alii Latinæ linguæ studebant, & ipsa etiam mancipia instrumentis musicis, quibus ea gens oblectari solet, vacabant. Immenso sumptu quærebat aves, & quadrupedes diversissimi coloris, & figuræ, quæ velut in theatro omnium oculis non sine admiratione exponebantur. Hæc videndi studio advenit nobilis quidam Gallus, quem D. Franciscus magnificentissimè excepit, & optimis muneribus affectum dimisit. Christianissimo Henrico Quarto Gallorum Regi visa enarravit, donata exposuit, quæ ita illum Regium animum obstrinxerunt, ut per humanissimam epistolam illi gratias ageret; cui D. Franciscus rescripsit, missis etiam donis utroque dignis. Mira erga superos pietate excelluit, ut videre erat in domestico Sacello pretiosissimâ supellectile omnis generis adornato. Munditiem animi adeò coluit, ut ad delendas tabellas, quibus lascivo penicillo turpia

depinguntur, optimos Theologos consuluerit, quorum omnium mens una fuit, illarum usum, & expositionem periculosissimam ansam præbere mortalibus noxis. Scripsit:

Tractatus pro Ceremoniis Missæ. Mantriti apud . . . . . .

Ipso curante, edita est *Copia de los pareceres, y censuras de los Reverendissimos Padres Maestros, y Señores Cathedraticos de las insignes Ciudades de Salamanca, y Alcalá, y de otras personas doctas sobre el abuso de las figuras, y pinturas lascivas, y deshonestas, en que se muestra que es pecado mortal pintallas, y esculpillas, y tenellas patentes adonde sean vistas.* Madrid, por la Viuda de Alonso Martin, 1632. in quarto.

(14)

D. Georgius de Castellobranco, D. Simonis de Castellobranco, & D. Mariæ de Noronha filius, Eques Militiæ Christi, Minervâ posthabitâ, militiæ nomen dedit, & navigans Orientem versus, illic aliquot classibus Præfectus, strenui Ducis mari Malabarico famam assecutus est.

(15)

D. Andreas de Almada, D. Antani Soares de Almada, & D. Vincentiæ de Castro filius, Theologiæ Doctor, & Antecessor Vesperarius, Regis à Conciliis, & Rector Academiæ, quem taliter venerata est, ut ad Cathedras nunquam habuerit competitorem. In Geographiâ doctus fuit, ut testantur aliquot Tabulæ Orbis terrarum Belgio editæ, & ipsi dicatæ. Unà cum D. Alvaro da Costa Collegium Divi Petri reformavit. Regali Sodalitio legavit testamento copiosam Bibliothecam magno pretio comparatam, quæ adhuc multà cum existimatione asservatur. Scripsit:

De Incarnatione. Cujus operis typis excussæ fuerunt 450. paginæ, servatæ in Collegio Patrum Trinitariorum Collimbriensi.

De triplici Scientia Animæ Christi, M. S.

(16)

Antonius Barbosa de Luna, Senatoris Michaelis Jacome de Luna, & Genebræ Barbosa filius, & magni Jurisconsulti Petri Barbosa, cognomento *Insignis*, consanguineus, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius.

(17)

D. Rodericus da Cunha, D. Petri da Cunha, Dynastæ *de Taboa*, Commendatoris *de S. Martinho de Dormes* Ordinis Christi, & Triremium Lusitanarum Præfecti, & D. Mariæ da Sylva secundæ uxoris filius. Natus est Ulyssippone eo tempore, quo Lusitania in miseram servitutem tendebat, ut unus esset ex assertoribus illius libertatis. Dum Inquisitionis Ulyssipponensis Conciliarii (cujus & postea Inquisitor fuit) munus ageret, jussus est ab Hispanorum Rege inquirere in aliquos de gravissimis, & fœdissimis criminibus delatos. Eâ quâ præditus erat integritate, acta confecit; at perpendens Rodericus reorum pœnam, & notitiam æquè eis, & Regno probrosam futuram esse, sententiam suam Regi aperuit, quæ nimirum erat, ut acta igni traderentur, ne hominum pateret infamia; quod clementissimus Rex approbavit, magnâ cum laude Rodericianæ ingenuitatis. Episcopus fuit Portalegrensis, Visensis designatus, Archiepiscopus Bracharensis Hispaniarum Primas,

mas, & Ulyssipponensis, à Sanctioribus Conciliis, Regni Gubernator, & Prior *do Crato* designatus. Sedis Portalegrensis Sacellum maximum vetustate penitùs collabens ita restituit, ut illius potiùs dicatur conditor, quàm instaurator. Eo plausu exceptus est in Primatiali Hispaniarum Sede, ut duo volumina typis edita, alterum Bracharæ, alterum in Urbe Portuensi ad illum exprimendum satis non sint; cui ille abundè gratulatus est, cùm jura sua defendit libro infrà laudando.

Philippus Quartus plurimos è Magnatibus Lusitaniæ, quà Ecclesiasticos, quà seculares Matritum convenire jussit, ut de rebus ad Regnum spectantibus ageretur. Mens erat Portugalliæ Regnum Regio titulo spoliare, & in Provinciam redigere. Unus pro omnibus censebatur D. Rodericus da Cunha: conditionem non tulit, ei namque fortissimè obstitit egregius ille Lusitanus, verusque Regalis Collegii Convictor etiam ad præstandum consensum, sæpiùs illi oblatâ Romanâ Purpurâ, pluris æstimans libertatem Patriæ, quàm honorem eminentissimum cum sui dedecore, & totius Regni detrimento. Ad Ulyssipponem redux, & victor reversus, cùm ad litus Tagi appulisset, ad eum excipiendum occurrerunt pauperes Urbis, arundines virentes manibus gestantes, & è Templo Sanctissimæ Virginis à Misericordia medium excipientes ad Templum Maximum associarunt, de adventu communis Patris lætissimis lacrymis plaudentes.

Intereà Hispanorum Aulâ de Lusitaniæ excidio semper cogitante, aliquot Magnates Lusitani, & aliquot secundi ordinis, ut Patriæ imminentem ruinam averterent, concilio secretissimè inito, Serenissimo Joanni octavo Brigantinorum Duci, Coronam avitam, partim vi, partim dolo raptam restituere statuerunt. Optima pars hujus concilii fuit Illustrissimus D. Rodericus da Cunha, qui dum è Sede Archiepiscopali ad Divi Antonii Templum pia Supplicatione procederet, ut gratias Deo Optimo Maximo redderet pro inauguratione Regia Joannis IV. primâ die Decembris, anno 1640. felicissimè peractæ, cùm populus maiori vociferatione conclamaret, *libertas*, *libertas*, *vivat Joannes Quartus*, Imago Christi è Cruce pendentis, quæ solet Archiepiscopos anteire, subitò dexterum brachium clavo revulso extendit, actum velutì firmans, & populum benedicens. Dùm è Ducali *Villa-Viçosa* Aulâ in Ulyssipponensem tendebat Joannes, unus fuit è Gubernatoribus Regni D. Rodericus da Cunha, cujus tanta erat authoritas, ut literæ suo nomine subscriptæ sufficerent, ut munitissimarum arcium Præfecti novo Regi eas traderent. In Comitiis Regni Generalibus primus fuit, qui juramentum præstitit fidelitatis, ut vocant. Corpus in servitutem spiritus redigebat flagrorum ictibus adeo iteratis, ut ea profusus sanguis pretiosissimè inficeret. Pauperes adhuc vivus heredes instituit, ipsis namque totos annuos redditus elargiebatur; ut plus haberet quod donaret, tenuissimum prandium vasis testeis illi apponebatur: lectus ipse, quo ut piissimè creditur, ad cœlum evolavit, alienus jam erat, utpote cuidam pauperi paulò ante promissus. Quamplurimas virgines in matrimonium collocavit, & omnium virtutum genere illustris, maximè pudicitiâ, æternum sui desiderium reliquit. Scripsit:

De Confessariis Solicitantibus. Opus editum primò in Oppido *de Benavente*, 1611. Secundò cum additionibus Fr. Seraphini de Freitas, Pinciæ, 1620. Tertiò cum additionibus novis ejusdem Seraphini, ibidem, 1632. in quarto.

Adver-

Advertencias ao Jubileo de 1620. Collimbriæ apud Nicolaum de Carvalho Academiæ Typographum, in quarto.

Explicaçaõ dos Jubileos. In Urbe Portuensi, 1622. in quarto. Editum est posteà Hispano, Gallico, & Latino sermone.

· *Catalogo, e Historia dos Bispos do Porto.* In Urbe Portuensi apud Georgium Rodrigues, 1623. in fol.

Super primam partem Decreti Gratiani Commentarii. Bracharæ apud Joannem Rodrigues, 1629. in fol.

De Primatu Bracharensis Ecclesiæ. Bracharæ apud Joannem Rodrigues, 1632. in fol.

Breviarium Bracharense à D. Roderico à Cunha, Archiepræsule, & Domino Bracharæ, Hispaniarum Primate recognitum. Bracharæ Augustæ ex Officina Viduæ, & filii Nicolai de Carvalho, Universitatis Conimbricensis Typographi, 1634. in octavo.

Historia Ecclesiastica de Braga com as vidas dos seus Arcebispos, e Varoens Santos, e eminentes do Arcebispado. Duobus tomis, quorum primus prodiit Bracharæ apud Emmanuelem Cardoso, 1634. in fol. alter ibidem, & apud eundem, 1635. in fol.

Historia Ecclesiastica da Igreja de Lisboa, Vidas, e acções de seus Prelados, e Varoens eminentes em santidade, que nella florecerão. Tomus primus. Ulyssippone apud Emmanuelem da Sylva, 1642. in fol.

Ipso curante, prodiere, *Chronicas dos Reys D. Joaõ o I. D. Duarte, e D. Affonso V. compostas por Duarte Nunes de Leaõ* Ulyssippone apud Antonium Alvares Typographum Regium, 1643. in fol.

Constituições do Arcebispado de Lisboa, quæ tandem lucem aspexere, curante Decano, & Capitulo Ulyssipponensi Sede Vacante. Ulyssippone apud Paulum Craesbeeck, 1656. in fol.

Super secundam partem Decreti Gratiani Commentarii, tomus alter. M. S.

Historia Ecclesiastica de Lisboa, tomo 2. M. S. quem imperfectum absolvit posteà, & annotationibus locupletavit ejus fratris filius D. Antonius Alvares da Cunha, Dynasta *de Taboa*, Regum Alphonsi VI & Petri II. à Conciliis, eorumque Dapifer, Trium Regni Ordinum Conciliarius, Chrthophilacio Regio Præfectus, & Librorum Patronatuum Reformator, & ipsum librum jam absolutum dono dedit Eminentissimo Domino Cardinali *de Sousa*.

(18)

Vascus de Sousa, Henrici de Sousa, & D. Meciæ de Vilhena, Comitum *de Miranda* filius, Theologus, Canonicus Bracharensis, & Eborensis, & posteà Magistralis Collimbriensis, à Conciliis Regis, Rectorque Academiæ. Edidit:

Sermaõ na Cidade do Porto no Collegio de S. Lourenço da Companhia de Jesu, na Festa do B. Ignacio seu Patriarcha, e Fundador, aos 31. de Julho de 1614. Collimbriæ apud Dominicum Gomes de Loureiro, 1614. in quarto.

(19)

D. Lupus de Almeida, D. Joannis de Almeida, & D. Eleonoræ de Mendoça filius. *Vide Notitiam Sodalium, n. 72.*

(20)

D. Ferrandus de Ataide, D. Antonii de Ataide, & D. Mariæ de Vilhena tertiæ uxoris, Comitum *da Castanheira* filius, Equis Militiæ Christi, militæ navali nomen dedit, in matrimonium

nium duxit D. Johannam Coronel, Ludovici Gomes Nunes Coronel, & D. Franciscæ Coronel filiam, ex qua liberos non suscepit.

(21)

D. Ferrandus de Castro, D. Joannis de Castro, Algarbiorum Gubernatoris, Urbanæque Curiæ Præsidis, & D. Mariæ da Sylveira filius, Canonicus Eborensis, & in eadem Urbe Inquisitionis Conciliarius.

(22)

D. Martinus de Castro, germanus frater Ferrandi, Abbas Parœciæ *da Alfandega da Fé* Transmontanæ Provinciæ.

(23)

Antonius da Sylveira Freire, Joannis Freire de Andrada, Dynastiæ *de Bobadella*, & *do Azinhal*, & D. Guiomariæ da Sylveira filius, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, Eborensis Inquisitor, Canonicusque Magistralis Egitaniensis.

(24)

D. Antonius de Castro, germanus frater Ferrandi, & Martini, ad arctiorem vitam evocatus, Carmelitarum Nudipedum amplexus est Institutum.

(25)

Antonius de Mendoça, Nonii de Mendoça, & D. Guiomariæ da Sylva, Comitum *de Val de Reys* filius, Canonista, Ulyssiponensis, & Collimbriensis Inquisitionis, Tribunalis Conscientiæ, & Ordinum Militarium, Triumque Regni Ordinum Conciliarius, Regiæ Domûs Nobilium Orphanarum in Castello Ulyssiponensi, & Collegii Orphanorum Provisor, Honorarius Cortinarius, Bullæ Cruciatæ Commissarius Generalis, Præses Tribunalis Conscientiæ, & Ordinum Militarium, Episcopus Lamecensis, & Archiepiscopus Brachareusis designatus, à Sanctioribus Conciliis, & Archiepiscopus Ulyssiponensis. In rebus ad jurisdictionem Ecclesiasticam attinentibus contentiones habuit cum Ludovico de Sousa Sacrificulo Maximo, sed judicio vicit.

(26)

D. Antonius de Lima, D. Laurentii de Brito Lima e Nogueira, à Sanctioribus Conciliis, & D. Ludovicæ de Tavora, Vicecomitum *de Villa-Nova de Cerveira* filius, Prædicatorum Ordini se addixit.

(27)

D. Alvarus de Attaide, D. Antonii de Attaide, Reginæ Castellæ Oeconomi Maximi, Legati in Germaniam, à Sanctioribus Conciliis, Gubernatoris Portugalliæ, Classi Regiæ Præfecti, Tribunalisque Conscientiæ, & Ordinum Militarium Præsidiis, & D. Annæ de Lima, Comitum *de Castrodairo* filius, Inquisitionis Collimbriensis, & Ulyssiponensis, ac Supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, Canonicus Magistralis Ulyssiponensis, à Conciliis Regis, Honorarius Cortinarius, apud Hispaniam morabatur, cùm Joannes Brigantinus Lusitanorum Rex inauguratus est. Duobus annis à morte elapsis, ejus cadaver corruptionis expers inventum, jussu Philippi IV. nobiliori sepulchro conditum est.

(28)

D. Joannes de Mello, D. Constantini de Mello, & D. Beatricis de Castro secundæ

eundæ uxoris filius, Archidiaconus Eborensis, Beneficiarius Sancti Joannis *de Coruche*, S. Salvatoris *de Béja*, & *de Ferreira*, & Archidiaconus Sancti Petri *de França*, in Sede Visensi. Secularis vitæ pertæsus, & perfectiorem cogitans, aspera Divæ Teresiæ dogmata sequi statuit. Voti compos factus, nihil antiquius habuit, quàm consanguineos vitare, eorumque colloquia fugere. In sui contemptu tantus erat, ut solùm de abjectissimis curaret. Prioris sui jussu Eboram adiit, ubi Brigantini Ducis consanguinei sui humanitatem frequentissimè expertus, ea amoris, & benevolentiæ signa eximiâ sui depressione compensabat. Ægra semper valetudo Joannis fratrem D. Franciscum de Mello tunc temporis apud Matritum commorantem impulit Comitem Ducem *de Olivares* convenire, ut aliquem ex Episcopatibus Lusitaniæ Philippus Quartus illi conferre dignaretur, attentâ hominis valetudine, quæ indies peius habebat, religiosis afflictationibus imminutâ. Ut hæc ex voto evenirent, eum Matritum evocavit, simulans negotia gravissimi ponderis sibi cum illo esse pertractanda. Joanne verò parvi faciente mandata fratris, Generalem Ordinis allocutus est Franciscus, ut Joanni iter Hispanicum injungeret. Non potuit non obtemperare obedientiâ coactus; totam rem illi aperuit frater, quâ cognitâ, enixis à Deo precibus impetravit, ut mortali vitæ finem imponeret, ne quid efficeret, quod illius æternæ saluti officere posset. Exaudito Joanne, fratrem delusit, & ad cœlum, ut piè creditur, evolavit.

(29)

Sebastianus Cæsar de Menezes, Vasci Fernandes Cæsaris, Præfecti *de Alemquer*, & D. Annæ de Menezes filius, Canonista, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, & Inquisitor, Inquisitionis Ulyssipponensis, & Supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, Archidiaconus Sedis Ulyssipponensis, Senator Palatinus, à Sanctioribus Conciliis, Honorarius Cortinarius, Episcopus Portuensis, Collimbriensis, Legatus ad Lutetiam Parisiorum, Archiepiscopus Bracharensis, Ulyssipponensis, & Quæsitor Maximus designatus. Inconstantiâ fortunæ sæpissimè agitatus, summâ animi firmitudine adversa sustinuit, nam modo gratus erat dominantibus, modo invisus. Actus tandem in exilium, Urbem Portuensem contendit, ubi profusæ pietatis quamplurima dedit argumenta. Cosmam Tertium Magnum Hetruriæ Ducem Europam peragrantem Regio more excepit, & dignissimis muneribus affecit. Musarum cultor fuit disertissimus, ut ejus carmina testantur. Scripsit:

Relectio de Ecclesiastica Hierarchia ad Cap. Cleros, & ad Cap. Perlectis. 21. & 25. Dist. Collimbriæ apud Didacum Gomes de Loureiro, 1628. in fol.

Veritas Harmonica utriusque Testamenti. Romæ apud Nicolaum Angelum Tinasso, 1663. in quarto.

Sugillatio ingratitudinis, sine anno, & loco editionis, in quarto. Prodiit rursus Ulyssippone apud Antonium Craesbeeck de Mello Regium Typographum, 1683. in fol. & tandem ibidem apud Michaelem Deslandes Typographum Regium, 1697. in fol.

Summa politica, Latinè, & Lusitanè. Amstelodami apud Simonem Dias Soeiro Lusitanum, 1650. in octavo.

(30)

D. Alphonsus de Faro, D. Francisci de Faro, e D. Mariæ da Guerra, Comitum

mitum *do Vimieiro* filius, Inquisitionis Collimbriensis Conciliarius, Canonicus Doctoralis Portuensis, & ejusdem Prætorii Senator, Domûs Supplicationis, & Gravaminum.

(31)

D. Ferrandus de Mello, frater germanus D. Joannis de Mello, *num.* 28. Archidiaconus Sancti Petri *de França* in Sede Visensi, Eques Militiæ Christi, Beneficiarius Sancti Salvatoris *de Arrayolos*, *de Ferreira*, & *de Béja*, Decanus Eborensis, Sacrificulus Maximus, & Episcopus Portuensis designatus.

(32)

D. Leonellius de Lima, frater germanus D. Antonii de Lima, *num.* 26. Eques Militiæ Christi, militavit in Belgio; sed in Patriam reversus, novumque iter aggrediens, Genuæ occubuit.

(33)

D. Rodericus de Menezes, D. Petri de Menezes, Urbanæ Curiæ Præsidis, & D. Constantiæ de Gusmaô, Comitum *de Cantanhede* filius, Sacrorum Canonum Doctor, Eques Militiæ Christi, & ejusdem Ordinis Commendator *da Idanha*, & in Avisiensi Commendator *de Jurumenha*, Senator Palatinus, Prætorii Portuensis Gubernator, & illius Territorii Armis Præfectus, Trium Regni Ordinum Conciliarius, Summus Justitiæ Rector, Præses Palatini Senatûs, Regii Cubiculi Eques Auratus, à Sanctioribus Conciliis, Regioque Stabulo Præpositus. Uxorem duxit D. Guiomariam de Menezes, filiam fratris sui D. Antonii Ludovici de Menezes, Comitis *de Cantanhede*, Marchionis *de Marialva*, à Sanctioribus Conciliis, Summi Ærarii Præfecti, Transtagani Exercitus, & Aulici Imperatoris, & D. Catharinæ Coutinho, ex qua suscepit D. Catharinam de Menezes, uxorem D. Petri Ludovici de Menezes, Comitis *de Cantanhede*, Marchionis *de Marialva*, Oeconomi Maximi, Tribunalis Concilii Transmarini Præsidis, Regumque Petri II. & Joannis V. Equitis Aurati, & à Sanctioribus Conciliis: D. Vincentiam de Menezes, quæ nupsit D. Roderico de Lancastro, Commendatori *de Coruche*: & D. Josephum de Menezes, Comitem *de Viana*, Regum Petri II. & Joannis V. Equitis Aurati, eorumque Regio Stabulo Præpositi, & à Sanctioribus Conciliis.

(34)

D. Didacus de Portugal, D. Francisci de Portugal, & D. Cæciliæ de Portugal filius, Eques Militiæ Christi, castra sequutus, Classem conscendit, quæ in Angram tendebat, & naufragio periit.

(35)

D. Ludovicus de Abranches, D. Antani de Almada, unius ex Assertoribus libertatis Lusitanæ, Legati ad Londinensem Aulam, Armisque *da Estremadura* Præfecti, & D. Elisabethæ da Sylva filius, militiæ nomen dedit, & conscensâ Classe, quam D. Ferrandus Mascarenhas, Comes *da Torre*, ducebat in Brasiliam, tempestate actus, Hispanorum Indias appulit, ubi degebat tempore inaugurationis Regiæ Joannis IV. & invitus, Hispaniam versus navigans, ejusdem Classi Præfectus fuit.

(36)

D. Georgius de Portugal, D. Alvari

de Portugal, & D. Ludovicæ de Vilhena filius, periclitante fratre æstum temperante in Tago propè Scalabim, dum ipsi opem ferre nititur, cum ipso submersus obiit.

(37)

Antonius de Saldanha, Ludovici de Saldanha, Reginæ D. Ludovicæ Oeconomi, & D. Mariæ da Sylva filius, Canonicus Sedis Ulyssipponensis, nomine militiæ dato, sub diversis Armorum Præfectis meruit; at seculari militiâ posthabitâ, aliam cœlestem in Societate Jesu professus, in Indiam navigavit, ubi clarus meritis fato concessit.

(38)

Franciscus de Mendoça, Laurentii de Mendoça, Commendatoris *de Fiozello*, & D. Mariæ de Noronha filius, Eques Militiæ Christi, in Goam vela fecit unà cum Joanne da Sylva Tello, Indiæ Prorege.

(39)

D. Franciscus de Lima, D. Ludovici de Brito & Nogueira, & Victoriæ de Cardaillac, Comitum *dos Arcos*, filius, Decanus Eborensis, dum studiorum curriculum perageret, occubuit.

(40)

Rodericus da Sylva Tello, quem Comes da Ericeira, in sua *Lusitania Instaurata, tom.1. pag 112.* vocat Rodericum Telles de Menezes, Joannis da Sylva Tello, Algarbiorum Gubernatoris, Summi Justitiæ Rectoris, à Sanctioribus Conciliis, semel, & iterùm Indiæ Proregis, & D. Mariæ de Castro, Comitum *de Aveiras*, filius, militiæ adscriptus, Classem conscendit, cui præerat Tristanus de Mendoça, in quâ naufragus interiit.

(41)

Garcias de Mello, Francisci de Mello, Præfecti Venatoribus Regiis, Algarbiorum Gubernatoris, in Galliam extra ordinem Legati, & primi in Transtagana Provincia Equitum Ductoris, & D. Ludovicæ de Mendoça filius, fratri successit, Eques Militiæ Christi, & Commendator, Venatoribus Regiis Præfectus, Cubiculo Regio Alphonsi VI. Præpositus, Urbanæ Curiæ Præses, Summus Justitiæ Rector, Tribunalis Conscientiæ, Ordinumque Militarium, & Palatini Senatus Præses, & à Sanctioribus Conciliis. Munera demisit, ut quietè Deo vacaret. Uxorem duxit D. Elisabetham de Castro, D. Francisci Mascarenhas, Indiæ Proregis, & à Sanctioribus Conciliis, & D. Margaritæ de Vilhena filiam, ex quâ filios suscepit.

(42)

D. Joannes de Mello, D. Georgii de Mello, Legatorum admissioni Præfecti, & Reginæ D. Ludovicæ Oeconomi, & D. Magdalenæ de Tavora filius, Eborensis Inquisitionis Consiliarius, & Inquisitor, & in eadem Urbe Præsul Paræciæ *de Santiago.* In Barbaricum Promontorium (vulgò *a Serra da Arrabida*) secedens, illic in Ædicula Bono Jesu dicata, & condita à D. Antonio de Lancastro, vitam transigere statuit; dum verò hîc cœlestibus operam dabat, jussu Augustissimi Petri discessit, ut esset Episcopus Elvensis; posteà fuit Visensis, & Collimbriensis. Prorè Collimbriam celebris est Eremus Teresianæ Familiæ, dicta *Bussaco*, ubi Ædiculis multis expositæ

positæ sunt imagines itineris Christi ad mortem gradientis. Plures instauravit Joannes, sed novissimam à Calvariæ monte nuncupatam sumptibus suis super excelsam rupem à fundamentis erexit. Parmula Christi Stigmatibus insignita adornat portam, cujus in medio conspicitur Crux, circumdata signis Cruciatuum Domini, & Spineâ Coronâ coronata. Ex Ædiculæ lateribus pendent tabellæ, quæ Acta Passionis Dominicæ repræsentant. Supplicatione indictâ, ipse Joannes Imaginem Christi crucifixi portavit, & Sacello more Ecclesiastico benedicto, primoque Sacro Pontificali maiestate celebrato, super Altare ipsam collocavit. In Cœnobio *do Bussaco* conditus est, ejusque patrocinio perpetrata miranda populi referunt, cerâ, & gallinis albis ipsius tumulo piissimè oblatis.

(43)

Franciscus Cæsar de Menezes, Ludovici Cæsar de Menezes, Oppidi *de Alemquer* Præfecti, & D. Vincentiæ Henriques filius, Archidiaconus Scalabitanus Sedis Ulyssipponensis.

(44)

D. Josephus de Menezes, D. Alphonsi de Menezes, Legatorum admissioni Præfecti, & D. Joannæ Manoel de Magalhães & Menezes filius, ab altissima fenestra nutricis incuria lapsus, & illæsus inventus, magnum aliquod futuro tempore portendit. In Sacris Canonibus Doctor, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Tribunalis Conscientiæ, Ordinumque Militarium, & Trium Regni Ordinum, & Ulyssipponensis Inquisitionis Conciliarius, Cœnobiorum *de Aviz*, & *de Palmella* Inspector, Honorarius Cortinarius, à Conciliis Regis, Rector, & Reformator Academiæ, Præsul Vimaranensis, Mirandensis Episcopus designatus, extitit deinde Algarbiensis, Lamecensis, & Archiepiscopus Bracharensis, Quæsitorque Maximus designatus, hoc munus respuit, ne Bracharensem Ecclesiam dimitteret. Suorum jurium propugnator fuit acerrimus; tenuissimam domi habuit supellectilem; pauperibus miseriæ levamentum, virginibus dotes, scholasticis optimâ indole ad studia præditis menstrua subsidia suppeditabat, munusculaque parviducta rarissimè consanguineis donabat.

(45)

D. Michael da Sylveira, D. Roderici Lobo da Sylveira, Tingis Præfecti, Urbanæ Curiæ Ulyssipponensis Præsidis, Indiæque Proregis, & D. Mariæ Antoniæ de Vasconcellos, Comitum *das Sarzedas*, filius, Magister Artium, & Theologus, Tribunus Militum, Legatusque Equitum Ductoris in Transmontana Provincia. In matrimonium duxit D. Elisabetham da Sylva, D. Didaci de Almeida, & D. Ludovicæ da Sylva filiam, decessit sine liberis.

(46)

Laurentius Pires Carvalho, Laurentii Pires Carvalho, Regiis Ædificiis Præfecti, & D. Magdalenæ de Vilhena filius, Sacrorum Canonum Doctor, Eques Militiæ Christi, Præcentor Portuensis, & ejusdem Prætorii Senator, Domûsque Supplicationis, & Gravaminum, Archidiaconus Scalabitanus Sedis Ulyssipponensis, Tribunalis Conscientiæ, & Ordinum Militarium, Triumque Regni Ordinum Conciliarius, Regalis Sepulchri D. D. Dionysii

Aa 2 apud

apud Cœnobium *de Odivellas*, & Xenodochii à Luce Inspector, Honorarius Continarius, Commissarius Generalis Bullæ Cruciatæ, à Conciliis Regis, & Regiis Ædificiis Præfectus, Episcopusque Lamecensis designatus. In Suburbio Ulyssipponensi à Rupe Gallica dicto (vulgò *Nossa Senhora da Penha de França*) villam, & domum extruxit, & in ea condidit pulchissimum Sacellum Beatæ Mariæ ab Aspro Colle nuncupatum (*Nossa Senhora de Monte Agudo.*) Eo procurante, hìc asservatur Sanctissima Synaxis, ut ægrotantibus à Paræcia dissitis illud epulum salutare promptius paretur. Scripsit:

Enucleationes Ordinum Militarium. Tomi duo. Ulyssippone apud Michaelem Manescal, 1693. in folio.

Rezões offerecidas pelo Illustrissimo Senhor Arcebispo de Evora sobre o naõ haver de applicar as penas pecuniarias, e as condenações de degredos á Bulla da Santa Cruzada Reposta a ellas por parte da Cruzada Ulyssippone, 1695. in fol.

Quæstiones selectæ duodecim de Bulla Sanctæ Cruciatæ. Tomi duo. Ulyssippone apud Michaelem Deslandes, 1698. in fol.

Epitome das Indulgencias, e Privilegios da Cruzada Ulyssippone, 1696. in octavo.

Rursus prodiit *com addições.* Ulyssippone apud Michaelem Deslandes, 1697. in octavo.

(47)

Rodericus de Moura Telles, Nonii de Mendoça, (fratris Convictoris Francisci de Mendoça, *num.* 38.) Equitis Aurati Principis D. Theodosii, semel, & iterùm Algarbiorum Gubernatoris, Urbanæ Curiæ Ulyssipponensis, Transmarinique Concilii Præses, à Sanctioribus Conciliis, Infantisque Elisabethæ Josephæ Œconomi Maximi, & D. Ludovicæ de Castro, Comitum *de Val de Reys*, filius, in Sacris Canonibus Doctor, Canonicus, & Thesaurarius Maximus Eborensis, Tribunalis Conscientiæ, Ordinumque Militarium Conciliarius, Honorarius Continarius, Rector, Reformatorque Academiæ, Episcopus Lamecensis designatus, postea Egitaniensis, & Bracharensis Archiepiscopus Hispaniarum Primas, à Sanctioribusque Conciliis. Bracharam vetustate collabentem ita restituit, ut illius jure optimo dici possit fundator. Ipsam Sedem veterum more nimiùm obscuram apertis fenestris clariorem reddidit, & Turres Campanarias in Sedis fronte instauravit. Palatium Pontificium in meliorem formam reduxit, & in Oeco Prædecessorum effigies appendi jussit, extructis Juridico Conventu, & Carcere Ecclesiastico, quæ omnia conjunctim pulcherrimum reddunt ædificium. Ejus operâ finem habuere longissimæ illæ moræ, quæ Monasterium in Oppido *de Chaves* inceptum, Dominæque Angelorum Sacratum Virginibus habitari retardabant, quibus viginti quinque millia aureorum dono dedit; sed morte præventus, instaurationem Monasterii à Conceptione Bracharensis infectam reliquit. Duobus milliaribus à Brachara assurgit collis, quo pietas Christiana pluribus Ædiculis recolebat, quæ Christus pro mortalibus dignatus est pati, verùm ceu incuriâ hominum, ceu injuria temporis vix apparebant vestigia. Purgato igitur vepribus, & ruderibus loco, per duorum milliarium spatium viam refecit, dispositis hinc, & inde sedilibus pro commodo perambulantium. Ad radicem montis, quo finis est viæ, superbissimam Porticum extruxit, cujus in epysti-

epystilio scalpro incisa leguntur hæc verba *Nova Jerusalem*. Leniter assurgente clivo, aliis Sacellis instauratis, aliisque à Roderico conditis, ultimam coronat Imago Christi è Cruce pendentis. Novam aperuit viam, quæ per alia duo millia passuum excurrit, ipsamque terminat Sacellum Magdalenæ dicatum, ibique extruxit commodissimum Palatium, ut liberiùs à negotiis vacaret. Dùm Rectorem egit Academicum, muneri suo sedulò incubuit; Archiepiscopatum Bracharensem quotannis perlustravit, bonisque Patrem, malis verò severissimum Judicem se præstitit.

Edi rursus curavit *Breviarium Bracharense*. Bracharæ.

(48)

Antonius de Saldanha, Joannis de Saldanha da Gama, Commendatoris *de Salvaterra*, *&* *Alcains*, unius ex Assertoribus Lusitanæ libertatis, & D. Margaritæ de Vilhena, Custodis Maximæ Reginæ Mariæ Franciscæ Elisabethæ à Sabaudia filius, Canonicus Sedis Ulyssipponensis, & in eadem Urbe Inquisitionis, & Bullæ Cruciatæ Conciliarius, Honorarius Cortinarius, Episcopus Portalegrensis, ubi insignia edidit virtutis argumenta, cùm Civitas illa expugnata fuit à Philippo V. Hispaniarum Rege, Episcopus Egitaniensis. Ulyssipponem venit negotiorum causa, ibique brevì diem clausit extremum.

(49)

Antonius de Vasconcellos & Sousa, filius Joannis Rodrigues de Vasconcellos, Armis Provinciæ *de Entre Douro, e Minho*, & Transtaganæ Præfecti, à Conciliis Bellicis, & D. Mariannæ de Lancastro, quæ marito viduata, fuit Marchionissa *de Castelmelhor*, Cubiculariæque Maximæ Reginæ Mariæ Franciscæ Elisabethæ à Sabaudia, Comitum *de Castelmelhor*, Beneficiarius *de Coruche*, & *da Chamusca*, Præsul quinquagesimus Vimaranensis, Decanus Sedis Ulyssipponensis, Inquisitionisque ejusdem Urbis Conciliarius, Honorarius Cortinarius, Episcopus Lamecensis, & Collimbriensis. A puero ita Deiparam veneratus est, ut eam Matris nomine appellaret. Ut unicuique jus suum servaretur, in Episcopatibus, quos frequentissimè, summoque labore perlustravit, viros doctissimos elegit, quorum muneris erat jurgia dirimere, litesque componere. Jussu Augustissimi Regis Joannis V. Averium adiit, ut ad augustiorem locum transferret Reliquias B. Joannæ, filiæ Alphonsi V. Lusitanorum Regis, quæ miraculis clara, ad cœlum evolavit in Monasterio illius Oppidi Prædicatorum Familiæ, quam Translationem eà pompâ peregit, ut Averium triumphare videretur. Rursus venit ad idem Oppidum pro inquirendis miraculis Beati Joannis à Cruce Carmelitæ Nudipedis ad ipsius futuram Apotheosim. Beatarum Mafaldæ, Teresiæ, & Sanciæ, quæ in Cœnobiis *de Arouca*, & *Lorvaõ* professionem emiserunt, Reliquias transtulit; Monasteriumque *do Louriçal* propè Collimbriam, Joannis V. Augustissimi Regis impensis extructum, multisque retrò annis piissimæ Virgini Mariæ *do Lado* divinitus patefactum, ut à Virginibus strictissimæ Observantiæ Divæ Claræ incoleretur, ad illud Oppidum contendit, in quo triduo commoratus, ea præstitit liberalitatis argumenta, quæ jam in superioribus dederat, optimos namque Musicos, Concionatores, & quæ ad solemnitatem spectabant, summo impendio undequaque quærebat. Ecclesiam Monasterii Lame-

Lamecensis Nudipedum Provinciæ Seraphicæ, à Conceptione dictæ, à fundamentis erexit. Lamecensi, & Collimbriensi Sedibus pretiosissimam, politissimamque suppellectilem donavit, Religiosorum Familias utriusque sexûs multis, magnificisque muneribus affecit, quæ longum esset recensere, pauperibusque multa aureorum millia frequentissimè elargitus est.

(50)

D. Joannes Rolim, D. Emmanuelis Childe Rolim, decimi quinti Dynastæ *da Azambuja*, & D. Ludovicæ Franciscæ de Vasconcellos filius, Eques Militiæ Christi, Commendatorque *de Santa Maria da Azambuja*, morte primogeniti fratris D. Francisci Rolim, in matrimonium duxit D. Antoniam Mauritiam da Sylva, Virginem Aulicam Reginæ Mariæ Franciscæ Elisabethæ à Sabaudia, filiam Martini Correa da Sylva, Taviræ Præfecti, Algarbiorumque Gubernatoris, & D. Jolantæ de Albuquerque, ex qua suscepit filios tres, primo ætatis flore præreptos. Conjuge tandem orbatus, in Monasterium *da Merciana* Provinciæ D. Antonii se recepit, ipsique legavit selectissimam Bibliothecam, & in ipsius Monasterii Vestibulo Sacellum condidit, quo sepultus est.

(51)

Emmanuel de Vasconcellos & Sousa, germanus frater Convictoris Antonii de Vasconcellos & Sousa, *num.* 49. Eques Ordinis Christi, Archidiaconus Eborensis, postea uxorem duxit D. Elisabetham de Sousa, filiam heredem Didaci de Brito Coutinho, Dapiferi Regii, & in Transmontana Provincia Castrorum Præfecti, & D. Annæ de Sousa, ex qua filios suscepit, & Dapiferi Regii munere functus est.

(52)

D. Ludovicus de Almeida, D. Joannis de Almeida, *o Fermoso*, Regiæ Domûs Oeconomi, & D. Jolantæ Henriques, Custodis Maximæ Augustissimæ Reginæ D. Mariæ Franciscæ Elisabethæ à Sabaudia, filius, Eques Militiæ Christi, in matrimonium duxit D. Mariam de Mello Corte-Real, filiam Dionysii de Mello de Castro, Transtaganæ Provinciæ Imperatoris, Comitis *das Galveas*, à Sanctioribus Conciliis, & D. Angelæ da Sylveira. In eadem Provincia meruit sub Socero Ductor Equestris Turmæ, Tribunusque militum.

(53)

D. Josephus de Mello & Mendoça, D. Petri Josephi de Mello, Gubernatoris *do Maranhaõ*, & D. Mariæ de Mendoça filius, Canonicus Collimbriensis, Honorarius Cortinarius, Triumque Regni Ordinum Conciliarius, aliquot annis Romæ, Florentiæque commoratus est.

(54)

D. Bernardus de Noronha, filius D. Thomæ de Noronha, Equitis Aurati Principis Theodosii, Urbanæ Curiæ, Conciliique Transmarini Præses, à Sanctioribusque Conciliis, & D. Magdalenæ de Borbon, Comitum *dos Arcos*, Eques Militiæ Christi, Administrator Domûs Indicæ, in matrimonium accepit D. Mariam Antoniam de Almada, filiam heredem Christophori de Almada, Domûs Indicæ Administratoris, Equitis Aurati Serenissimi Infantis Petri, Gubernatoris *de Mazagaõ*, Regi-

narumque

narumque Mariæ Franciscæ Elisabethæ à Sabaudia, & Mariæ Sophiæ Elisabethæ de Neobourg Oeconomi, & D. Phillippæ de Mello.

(55)

D. Emmanuel Coutinho, filius D. Antonii Ludovici de Menezes, unius ex Assertoribus Lusitanæ libertatis, Transtaganæ Provinciæ Imperatoris, *Estremaduræ* Armis Præfecti, Regii Ærarii Moderatoris, à Sanctioribus Conciliis, & D. Catharinæ Coutinho, Comitum *de Cantanhede*, Marchionumque *de Marialva*, Eques Militiæ Christi, Ductor Equestris Turmæ, navi bellicæ Præfectus, apud *Moura* Equitum Præfecti Legatus, Comesque *do Redondo*. Magnam Europæ partem peragravit, ut mores hominum prudentissimè observaret.

(56)

D. Alvarus de Abranches & Noronha, D. Michaelis Ludovici de Menezes, Comitis *de Valladares*, & D. Magdalenæ de Lancastro & Abranches filius, Canonicus Sedis Ulyssipponensis, in eademque Urbe Inquisitionis Conciliarius, Honorarius Cortinarius, Episcopus Leiriensis, Summus Justitiæ Rector, Archiepiscopusque Eborensis designatus. Commissi sibi gregis Pastor vigilantissimus, doctissimusque. Edidit: *Consensum Constitutioni* Unigenitus *præstitum*. Ulyssippone apud Josephum Lopes Ferreira, Serenissimæ, Augustissimæque Reginæ Typographum, 1719. in quarto.

(57)

D. Nonius Alvares de Portugal, filius Ludovici da Sylva Tello, (filii Joannis da Sylva Tello, secundi Comitis *de Aveiras*, patrisque Convictoris Roderici da Sylva Tello, *num.* 40.) Equitis Aurati Principis Petri, Tribunalis Conscientiæ, Ordinumque Militarium Præsidis, Summi Justitiæ Rectoris, à Sanctioribus Conciliis, & D. Joannæ Agnetis de Portugal, Comitum *de Aveiras*, Thesaurarius Maximus Sedis Collimbriensis, & in eadem Urbe Inquisitionis Conciliarius, posteà Inquisitionis Ulyssipponensis, & Bullæ Cruciatæ Conciliarius, Honorarius Cortinarius, generis splendorem virtutum splendore superavit, vitamque duxit cœlestem potiùs, quàm humanam.

(58)

Georgius de Mello, Garciæ de Mello, Regalis Collegii Convictoris, *num.* 41. Regiis Venatoribus Præfecti, Urbanæ Curiæ, Tribunalis Conscientiæ, Ordinumque Militarium, Summi Justitiæ Rectoris, & Palatini Senatus Præsidis, à Sanctioribusque Conciliis, & D. Elisabethæ de Castro filius, Canonicus Collimbriensis, & Ulyssipponensis, secum conjunxit in matrimonium D. Ludovicam de Mendoça, filiam Tristani da Cunha, Gubernatoris *de Angola*, & D. Joannæ de Mendoça, sine liberis obiit.

(59)

D. Alphonsus de Noronha, frater germanus D. Bernardi de Noronha, Convictoris, *num.* 54. cùm adhuc studiis vacaret in Regali Collegio, occisus est IV. Kal. Februarii.

(60)

D. Joannes de Sousa, filius D. Antonii Ludovici de Sousa, Castrorum Præfecti in Provincia *do Minho*, Gubernatoris

bernatoris *da Bahia*, à Conciliis Bellicis, Tribunalis *do Tabaco* Præsidis, Provinciarum *da Beira*, & Transtaganæ Armorum Imperatoris, à Sanctioribus Conciliis, anno 1706. VII. Kal. Julii Matriti (Aula est Hispanorum Regum) domitoris, Reginæ Mariæ Annæ de Austria Stabulo Præpositi, & D. Mariæ Magdalenæ de Lima, Comitum *do Prado*, Marchionumque *das Minas*, fratri suo D. Francisco de Sousa, quinto Comiti *do Prado*, successit; fuitque sextus Comes *do Prado*, & tertius Marchio *das Minas*, sub Scipione Lusitano, (hoc immortali cognomine nobilitatus fuit ab Augustissimo, desideratissimoque Rege Petro II.) scilicet sub Patre suo meruit in bello Hispano Gallico; Supremus fuit Legionis Instructor, Transtagano Equitatui Præpositus, à Conciliis Bellicis, Augustissimique Regis Joannis V. Eques Auratus. Uxorem duxit Franciscam à Neufuille, filiam Francisci à Neufuille, Ducis de Villa Roy, Galliarumque Castrorum Primarii Præfecti, & Mariæ Margaritæ de Cossè, ex quâ liberos suscepit. Injustè fuit occisus XV. Kal. Octobris magno omnium luctu propter ejus comitatem, cæterasque egregii animi dotes.

(61)

Nonius da Cunha de Attaide, filius Ludovici da Cunha de Attaide, Dynastæ *de Povolide*, *Castro Verde*, & *Paradella*, & D. Guiomariæ de Lancastro, Beneficiarius *de Coruche*, Canonicus Collimbriensis, Inquisitionisque ejusdem Urbis Conciliarius, & Promotor, Inquisitionis Ulyssipponensis Conciliarius, & Inquisitor, Eques Militiæ Christi, & Commendator *de Santa Marta de Bornes*, Honorarius Consiliarius, Triumque Regni Ordinum Conciliarius, Episcopus Elvensis designatus, Sacrificulus Maximus, Episcopus Targensis, à Sanctioribus Conciliis, Quæsitor Maximus, Cardinalisque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ creatus XV. Kal. Junii, 1712. Pro eligendo Successore Clementis XI. qui è vivis excesserat XIV. Kal. Aprilis, 1721. solvit Ulyssippone VII. Idus Maii, Liburnumque appulit XIV. Kal. Junii cùm VIII. Idus ejusdem mensis creatus jam esset Summus Pontifex Innocentius XIII. Romam profectus, à Pontifice benignissimè, ac humanissimè exceptus fuit, memor necessitudinis, quam cum illo instituerat, cùm in Aula Lusitana Nuntium ageret Apostolicum. Ab eodem Pontifice donatus Galero, Tituloque Sanctæ Anastasiæ insignitus, Ecclesiam ipsius Tituli præ nimia vetustate ruinæ proximam à fundamentis reparavit, quo beneficio taliter Capitulum devinxit, ut gratum animum æternæ memoriæ commendaret lapide sic inscripto:

Eminentissimo Principi, Nonio à Cunha,
Tit. S. Anastasiæ Presbyt. S. R. E. Cardinali,
Omnium Portugalliæ Regis Provinciarum
Inquisitori Generali,
Quod vetustissimam hanc Basilicam
Primis Æræ Christianæ seculis
Ædificatam,

Ic

Ac complurium Summorum Pontificum,
Tum etiam Cardinalium Titularium
Piâ curâ multoties restitutam,
Ornatamque
Postremis hisce temporibus
Miserè fatiscentem, & excidio proximam
Resarto tecto, addito laqueari,
Parietibus ad libellam revocatis,
Atque directis,
Utrâque laterali navi concameratâ,
Pristino antiquis columnis reddito
Nitore,
Novis apertis fenestris,
Novâ itidem interiori extructâ porticu,
Atque Odeo super imposito,
Æquato, stratoque pavimento,
Instauratâ fronte, amplificatâ areâ,
Ac universi ædificii squalore deterso
Non tantum ab interitu vindicaverit,
Et adversus ævi damna firmaverit,
Sed elegantiorem insuper,
Splendidioremque in speciem restituerit:
Reparatori Munificentissimo
Capitulum, & Canonici
Gratum animum declaraturi,
Missam solemnem ipsis assistentibus,
Et duodecim alias Missas lectas
Eo vivente pro vitæ diuturnitate
Die 21 Julii, quâ Tituli possessionem
Assumpsit:
Eo mortuo, die obitus pro animæ suffragio
Perpetuis futuris temporibus
Celebrandas
Unanimi consensu decreverunt,
Et ad posteritatis notitiam

 Accepto-

Acceptorum beneficiorum,
Ac simul Capitularis Decreti
Monumentum posuere.
Anno Sal. M. DCC. XXII.

In Congregationibus, ad quas all ctus fuit, Episcoporum, & Regularium scilicet, de Propaganda Fide, de Ritibus, & Consistoriali, plurima dedit argumenta doctrinæ, & ubique insignia liberalitatis monumenta reliquit. Terrestri munere in Patriam reversus, ipsâ die XI Kal. Novembris, quâ Regis Augustissimi natalis digno honore celebrabatur, Ulyssipponem ingressus, à Rege, totâque Magnatum, & Nobilium coronâ perhumanissimè exceptus est.

(62)

D. Ferrandus de Almeida, D. Petri de Almeida, Regiæ Domûs Oeconomi, Indiæ Proregis, Comitisque *do Assumar*, & D. Margaritæ de Noronha filius, Canonicus Sedis Collimbriensis, Honorarius Cortinarius, Inquisitionis Ulyssipponensis, Triumque Regni Ordinum Conciliarius.

(63)

D. Joannes de Sousa, D. Francisci de Sousa, (qui frater erat D. Ludovici de Sousa, ejusdem Regalis Collegii Sodalis, *num.* 120.) Prætoriæ Germanorum Cohortis Præfecti, Trium Regni Ordinum Conciliarii, Urbanæ Curiæ, Tribunalis Conscientiæ, & Ordinum Militarium Præsidis, à Sanctioribus Conciliis, & D. Helenæ de Portugal filius, Canonicus Collimbriensis, ejusdemque Urbis Inquisitionis Conciliarius, posteà Ulyssipponensis Inquisitionis Conciliarius, & Inquisitor, Honorarius Cortinarius, Abbas *de Cervães*, Præsul Vimaranensis, & Algarbiensis Episcopus designatus, authoritate, integritate, prudentiâ, doctrinâ, moribusque priora secula redolentibus in paucis clarus.

(64)

D. Thomas de Almeida, D. Antonii de Almeida, Algarbiorum Gubernatoris, à Sanctioribusque Conciliis, & D. Mariæ Antoniæ de Borbon, (sororis Convictorum D. Bernardi de Noronha, *num.* 54. & D. Alphonsi de Noronha, *num.* 59.) Comitum *de Avintes*, filius, Inquisitionis Ulyssipponensis Conciliarius, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Præses Parœciæ *de S. Lourenço*, in qua, ut posteris memoriam pietatis suæ commendaret, extruxit Sacellum Divi Thomæ *de Villanova*, Arcum Sacelli Maximi, duoque Altaria, quæ vulgò dicimus *Collateraes*, Domino Jesu, purissimæque Deiparæ Conceptioni dicata: Gazæ Regiæ Conciliarius, & Procurator, Tribunalis Conscientiæ, Triumque Militarium Ordinum Conciliarius, Regni Cancellarius Maximus, à Sanctioribus Secretis, Episcopusque Lamecensis. Per id tempus exitiosæ lites pullulaverant inter Episcopum Visensem, D. Hieronymum Soares, ejusque Capitulum, quæ jam in acta forensia eruperant, magno cum utriusque partis detrimento. Ubi primum Thomas Lamecum advenit, nullâ interpositâ morâ, Viseum profectus est, auditoque Episcopo, & Capitulo, arbitrario jure lites composuit

posuit, pacemque reddidit, quæ à totâ Diœcesi jampridem exulabat. Lamecum reversus, Sedem Episcopalem ab antiquis seculis luce orbatam sex apertis fenestris illustravit; Sacrarium multâ, & optimâ supellectili locupletavit; in Monasterio Virginum *das Chagas* Turrem Speculatoriam magnificè condidit, & in Cœnobio Divi Antonii Sacrarium extruxit, quod operibus affabrè elaboratis pretiosum fecit.

Jussu Augustissimi Regis Joannis V. Reformator accessit ad Regale Collegium, quod idem Princeps ejus operâ redditibus auxit. Morte piissimi Episcopi Josephi à Sancta Maria vacaverat Sedes Portuensis, & in ejus locum suffectus est Episcopus Lamecensis, summo totius Civitatis plausu, quæ ut suum amorem demonstraret, nulla non dedit argumenta lætitiæ. Ejus Prætorii Gubernator fuit, Imperatorque Armorum ipsius Territorii. Publicis operibus Civitatem adornavit, & quod caput est, à Clemente XI. Jubilæum, quod vocant *Lausperenne*, ad septem annos impetravit, & in Sede Portuensi solemni pompâ initium habuit.

Toto intereà pectore cogitavit Augustissimus Rex Joannes V. Divi Thomæ Collegiatam, ut vocabant, Patriarchali titulo decorare, ut Sedes Ulyssipponensis Occidentalis, quæ modò Sanctæ Basilicæ nomine dignoscitur, reliquas Sedes Lusitani Regni privilegiis, honoribus, gratiis, maiestateque præcederet. Ejus votis benignè annuit Clemens XI. Pontifex Maximus, & ad spectatissimum munus peragendum unus erat D. Thomas de Almeida, Episcopus Portuensis, ipsius namque illustrissima familia ad nova munera, eaque maxima, videtur nata, ut patet in D. Francisco de Almeida, primo Indiæ Protege, D. Garcia de Almeida, primo Academiæ Collimbriensis Rectore, & D. Petro de Almeida, primo Urbanæ Curiæ Ulyssipponensis Præside. Ut tantæ dignitatis possessionem iniret, Idibus Februarii 1717. adiit Villam Ducum *de Aveiro*, quæ proxima est Parœciæ Divi Sebastiani *da Pedreira*, extrà muros Ulyssipponis. Ubi primùm venit ad præfatam Parœciam, in qua eum opperiebantur equos conscensi Magnates, totaque Nobilitas Lusitana, curru vectus, præclarissimo illo comitatu præeunte, substitit ad Monasterium Sanctæ Marthæ; ibique è curru descendens, amictus veste, quam dicunt Consistorialem, equum ascendit, processitque ad Portas Divi Antonii, in quibus extructa erat Ara magnificè ornata. Hic, deposito Consistoriali amictu, vestes induit Pontificales, Pluviale album, Mitramque pretiosam, & conscendens mulam albam, cujus ephippia adornabat stragulum textilis argenti, quam vittâ coccineâ habenarum loco ducebat D. Ludovicus de Almeida, Comes *de Avintes*, Eques Auratus Serenissimi Infantis D. D. Francisci, ejusque Stabulo Præpositus, germanus frater ipsiusmet Patriarchæ, mediumque exceperunt Ædiles utriusque Ulyssipponis, Orientalis scilicet, & Occidentalis sub umbella pretiosissima; sicque procedens composito gradu inter militum alas, Clerum, Religiosos Ordines, Sacraque Sodalitia, in Sanctam Basilicam Patriarchalem contendit, in qua solemniter dicto Hymno *Te Deum laudamus*, Patriarchatûs iniit possessionem. Interim verò æra campana festivè resonabant, parietes aulæis ornati videbantur, & sub vesperum funalia fenestris accensa, tormentaque bellica sæpiùs explosa, Patriarchæ plaudebant. Vestibus utitur purpureis, eâque pompâ incedit, ut major excogitari non possit. Capitu-

lum Patriarchale constat ex primæ, antiquiorisque nobilitatis viris, quos reddunt longè maiores morum probitas, & doctrina, ex quibus jam adscriptus est albo Purpuratorum Patrum Eminentissimus D. D. Joannes da Mota & Sylva. Patriarchæ insuper accessit dignitas Sacrificuli Maximi, Statûsque Conciliarii. Totam illico Diœcesim perlustravit, Monasteriumque dicatum Dominæ *dos Remedios*, Patronæ universi Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, apud *Campolide*, Ulyssipponense Suburbium, inceptum ab anno 1633. Virginibus ejusdem Ordinis traditum est, (evocatis quatuor fundatricibus è Monasterio Sanctæ Marthæ Ulyssipponensis) 6. Nonas Julii, 1717. quibus etiam præscripsit leges ab ipso confirmatas VI. Kal. Julii, 1721. & Virginibus Monasterii à Conceptione apud alterum Suburbium Ulissipponis à Luce dicti, à piissimo, doctissimoque viro Nonio Barreto Fuzeiro conditi., leges confirmavit VIII. Idus Julii, 1727. Inter Missarum solemnia dixit:

Allocutio Thomæ I. Patriarchæ Ulyssipponensis habita in Dedicatione, & Consecratione Ecclesiæ Monasterii Fratrum Arrabidensium Oppidi Mafrensis dicatæ Sanctissimæ Virgini Mariæ, & Divo Antonio, die XXII. Octobris, anno Domini 1730.

Homilia habita in festo Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Virginis Mariæ Regni Patronæ inter Missarum solemnia in Sancta Basilica Patriarchali, anno Domini 1730.

Homilia habita in festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli inter Missarum solemnia, anno Domini 1730.

Homilia habita in festo Assumptionis Sanctissimæ Virginis inter Missarum solemnia in Sancta Basilica Patriarchali, anno Domini 1730.

Homilia habita in festo Immaculatæ Conceptionis Sanctissimæ Virginis Mariæ Regni Patronæ inter Missarum solemnia in Sancta Basilica Patriarchali, anno Domini 1731.

Thomæ I. Patriarchæ Ulyssipponensis, pro Sacris Oleis asservandis feria quinta Cœnæ Domini à se renovatis post Missarum solemnia ex præscripto Pontificalis Romani ad Presbyteros commendatio habita, anno Domini 1732.

Homilia habita in festo Assumptæ Virginis inter Missarum solemnia in Sancta Basilica Patriarchali, anno Domini 1732.

Consensus Constitutioni Unigenitus *præstitus.* Ulyssippone Occidentali ex Prælo Paschoalis à Sylva, Serenissimi Regis Typographi, 1719. in quarto.

(65)

D. Joannes de Lancastro, D. Laurentii de Lancastro, Commendatoris *de Coruche*, Oeconomique Regiæ Domûs Reginæ, & D. Elisabethæ Coutinho filius, Archidiaconus Sancti Petri *de França* in Sede Visensi, Eques Militiæ Christi, ad Indos navigavit cum Prorege Antonio Ludovico da Camera Coutinho, Ædili Maximo; cùmque suppetias ferret Arci *de Mombaça*, ab hostibus obsessæ, fato concessit in Insula *Zamzibar*.

(66)

D. Josephus Dominicus de Sousa, germanus frater Convictoris D. Joannis de Sousa, *num.* 60. Trium Regni Ordinum Conciliarius.

(67)

Joannes de Mendoça, Laurentii de Mendoça, (fratris Convictoris Roderici

derici de Moura Telles, *num.* 47.) Trium Regni Ordinum Conciliarii, Summi Justitiæ Rectoris, à Sanctioribusque Conciliis, & D. Mariæ de Mendoça, Comitum *de Valdereis*, filius, Sacrorum Canonum Doctor, & Professor, Archidiaconus Egitaniensis, Thesaurarius Maximus, & Canonicus Eborensis, Inquisitionis Ulyssipponensis Conciliarius, Honorarius Cortinarius, Tribunalis Conscientiæ, Triumque Ordinum Militarium Conciliarius designatus, Episcopus Egitaniensis, Romam adiit *ad Limina Apostolorum*, eamque apud Summum Pontificem Clementum XI. expertus est benevolentiam, ut eum in *Assistentem* Solio Pontificio elegerit. In Patriam reversus, summo omnium plausu exceptus est, ipse namque omnium virtutum se præbet dignissimum exemplar.

(68)

D. Laurentius de Almeida, frater germanus Convictoris D. Thomæ de Almeida, *num.* 64. Eques Militiæ Christi, & Commendator *de Borba de Gondim*, in Indiam navigavit, illicque uxorem duxit D. Mariam Rosam de Portugal, consanguineam suam, filiam D. Michaelis de Almeida, & D. Paulæ Irenæ Corte-Real, ex qua filios procreavit. Præfectus fuit Provinciis *de Pernambuco*, & *das Minas Geraes*.

(69)

D. Franciscus de Sousa, filius D. Ludovici Balthasaris da Sylveira, Oeconomi Regiæ Domûs Reginæ D. Mariæ Annæ de Austria, & D. Ludovicæ Bernardæ de Lima, in Sacris Canonibus Doctor, & Professor, Canonicus Doctoralis Egitaniensis, Eques Militiæ Christi, Inquisitionum Collimbriensis, & Ulyssipponensis, Tribunalis Conscientiæ, Triumque Ordinum Militarium, ac Supremi Fidei Tribunalis Conciliarius, Honorarius Cortinarius, Provisor Collegii Orphanorum, & Regiæ Domûs Nobilium Orphanarum in Castello Ulyssipponensi, Commissariusque Generalis Bullæ Cruciatæ.

(70)

Josephus Dionysius Carneiro, Francisci Carneiro, & D. Euphrasiæ de Lima, Comitum *da Ilha do Principe*, filius, Thesaurarius Maximus Regiæ Capellæ *de Villa Viçosa*, Honorarius Cortinarius, Inquisitionis Ulyssipponensis Conciliarius, Sanctæ Basilicæ Patriarchalis Archidiaconus, Regisque à Conciliis.

(71)

D. Joannes de Almada, filius D. Laurentii de Almada, Legatorum admissioni Præfecti, Trium Regni Ordinum Conciliarii, Insulæ *da Madeira*, *Angola*, & *Bahia* Gubernatoris, Tribunalisque Commercii Præsidis, & D. Catharinæ Henriques, Canonicus Sedis Ulyssipponensis.

(72)

Rodericus de Mello da Sylva, Ludovici de Mello da Sylva, & D. Mariæ de Faro, Comitum *de S. Lourenço*, filius, Sacrorum Canonum Doctor, Magister Scholaris *de Santarem*, & Archidiaconus *de Neiva*. Fratri germano Martino Antonio de Mello, Comiti *de S. Lourenço*, successit, Eques Militiæ Christi, quintus Comes *de S. Lourenço*, Trium Regni Ordinum Conciliarius, Auratusque Eques Serenissimi Infantis D. D. Antonii. Uxorem duxit D. Mariam Rosam de Lancastro, filiam

filiam Vasci Fernandes Cæsaris de Menezes, navi bellicæ Præfecti, Tribuni Militum, Supremi Legionis Instructoris, Indiæ, & Brasiliæ Proregis, Comitisque *de Sabugosa*, & D. Julianæ de Lancastro, ex qua unicam procreavit filiam D. Annam de Mello & Sylva. Testamento legavit sexaginta sextarios olei, ut Imago Divi Pauli in Regali Collegio perpetuò illustretur.

(73)

D. Joannes Mascarenhas, filius D. Francisci Mascarenhas, & D. Mariæ de Noronha, Comitum *de Coculi*, Thesaurarius Maximus Sedis Algarbiensis, Eques Militiæ Christi, Senator Portuensis, Domûs Supplicationis, & Gravaminum, Tribunalis Conscientiæ, Triumque Ordinum Militarium Conciliarius, Provisorque Capellarum Regis Alphonsi IV. In *Bahia* uxorem duxit D Joannam Mariam Guedes de Brito, filiam heredem Antonii da Sylva Pimentel, Tribuni Militum, & D. Elisabethæ Mariæ Guedes de Brito. In Castello Ulyssipponensi sine liberis decessit.

(74)

